




V
B J
C
587362
Mag. St. Dr.

Dublet ad 23108. II

Ek



657

1409
A. Nr. 13.
Ak

SARMATIA EUROPÆA

Mox post Diluvium Universale

INHABITATA

Seu

FRAGMENTUM

Tractatûs de Diluvio Universali,

Partis III.

In quo ostenditur

Adventus in Europam Posterorum Nóë

nec non

Adducuntur Gentes Antiquissimæ, quæ has oras; per quas nunc extenditur, vel aliquando extendebatur Regimen Polonorum: ante Lechum inhabitabant.

Demonstratur quoque

Antiquitas, amplitudo, idioma, res præclarè gestæ, mores, forma Regiminis Gentis Scytho-Sarmato Slavicæ.

Authore

Fratre Stanislao KLECZEWSKI Ordinis Minorum S. P. N. F. strictoris Obseruantiæ Provinciæ Russiæ Sacerdote.



Anno Domini MDCCLXIX.
Leopoli Typis S. R. M. Confrat: SSS. TRINITATIS.

657

Jnterroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam. Heſterni quippe ſumus. *Job: 8. ver: 8.*

Pertinet ad virtutis officium, & vivere Patriæ, & propter Patriam. *S. Auguſtinus de Civit:Dei. Lib. 19. Cap: 1.*

Res àrdua vetuſtis novitatem dare, novis authoritatem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem. *Plinius Præfat: ad Hiſt: Natural.*

Omnia quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuere. Jnveteraſcet hoc quoque, & quod hodiè exemplis tuemur, inter exempla erit. *Tacitus Annàl: Lib: 11. Cap: 24.*

587362 I

Majorum gloria, poſteris lumen èſt, neq, bona, neq, mala eorum in occulto patitur. *Saluſtius in Hiſt:*

Sit ne utilis hic liber, an fructuoſus? meum non eſt prædicare. Fateanur hoc qui opus ipſum legerint. Nos enim Scriptores, componendi & traducendi operis laborem capimus: alij verò de nobis judicandi authoritatem uſurpant. *Guevara Proœm: Speciali ad Carolum V. in Horol: Principum.*

Bibl. Jag.
1976 St. 2 98 St. Dr.

ILLUSTRISSIMO
ac
REVERENDISSIMO DOMINO
ANDREÆ MŁODZIEIOWSKI
Episcopo Posnaniensi
Supremo Regni
CANCELLARIO
Domino, Patrono faventissimo.



SI Opusculum hoc Illustrissime Præsul, ut munus respiicias? minimum: si tanquam debitum? serum nimis est. Ex eo namque tempore, quô Dignitatem Tuam primò cognoscere, simulque benevolentiâ me onerari sensi, obstringi me quidem gratitudine probè cognovi, votum tamen, eam publicè profitendi, ad effectum deducere, non licuit. Deerat cupienti, vel munus quod offerrem, vel tempus quò officium

meum explerem. Crescente tandem Dignitate Tui, diminuta est in me capacitas, aliquid par tantæ Eminentiæ offerendi. Et nisi scirem, magnos animos, non pari munere, ast humili obsequiô devinci posse, manerem perpetuò sub onere, nec hoc parvulum munusculum Tibi offerre auderem.

Exiguum namq; est, si vel molem ipsius, vel contextum respicias, adeò, ut ingenuè fateri cogar, quantulo tandem labore compilatum Opus, singulari ingeniò non esse consumatum, nec adeò curiose scriptum, quin censurâ, limâque indigeat. Non ostentationi quidem, sed fidei, veritatiq; illud composui, Notitiæ tamen antiquitatis non adhuc satis adultæ, fateor plura deesse. Eruderando verò Prima Gentis Nostræ fundamenta, tot sæculis obruta, id me assecutum non credo, quin plus tempori, alijsq; investigandum relinquerem. Spero, cum Seneca: Venturum tempus, quò Posteri Nostri, tàm aperta nos nescisse mirabuntur: postquam reconditam, & sæculorum malignitate compressam veritatem promptiora ingenia publicaverint: hoc præcipuè fortunato tempore, quando Sapientissimo REGE philosophante, studijs honorem augeri, palam videmus. Pariat feliciora ingenia, nondum lassa natura. Triumphet, sub alia manu Artium Parens Antiquitas: mihi qui (juxta phrasim Taciti) minimè desidero, cantari, saltariq; Commentarios meos: sufficit, veritati inquirendæ aperuisse viam illis, qui videntes hoc primum tentamen licet exiguum, à Te Illustrissime Præsul *esse promotum, ac benignè susceptum intimiora, obscuræ adhuc veritatis, penetrabunt.*

Interea Opus hoc, qualecunq; sit, minus veretur prodire in publicum, ut pote in ipsa fronte Dignissimo Nomine Tuo adornatum. Quantò namque distinctiori veneratione Te Orbis

Po-

Polonus, Præsulem, Senatorem, ac Ministrum Statûs colit, tantò plus Authoritatis labori meo accessurum credo. Nec adeò explicari posse invidiam spero, quin eam Illustrissimæ Domus *Tuæ excellentia, & emeritæ dignitatis amplitudo supprimere valeat.*

Possem quidem non tàm ampliando Tuam dignitatem, quàm ornando hoc Opusculum Avorum, Atavorumque Tuorum merita, longa enumerare serie: ut videant cuncti sub Quanto Nomine militet Sarmatia mea. Sed ne videar solem in Meridie digitô ostendere, & quosdam enumerando, alijs injurius fiam: sufficiat innuisse, Te Antecessorum merita, Tuis auxisse, & eô locô statuisse, quô, illos probitas, fortitudo, & fusus pro Religione, ac Patria, sudor, tenuit aliquando, vel constituere debuit. Suppleat fusius Historia Polona, quod à me desideratur. Mihi verò sufficiat hoc pro complemento decoris Illustrissimæ Domus *& Tuæ gloriæ ponere, quod à Sapientissimo Orbem Polonum Regente* STANISLAO AUGUSTO *non alius poterat eligi mentis suæ Interpres Cancellarius, nisi prudentissimus. Non alius in Senatu collocari nisi Nobilissimus. Non alius postulari jam Secundæ Cathedræ Antistes, nisi pijssimus. Non alius designari Statûs Minister, nisi doctissimus. Hæc dona Tua, non nuperna sunt sed antiqua, quod autem publicè non fuerint coronata, non hoc Virtutis Tuæ damnum est, modestè latuisse.*

Postquam verò ad tot munia Regni omnibûs applaudentibûs, assumptus esses, crevit singulis amplioris laudis argumentum, mihique animus explicandi gratitudinem meam. Quod autem usque hodie tardaverim, patientia fuit, non ignavia. Ut nimirum submotâ gratulantium turbâ, melius distinguar

Cle-

Clientis Personam gerere, cui sufficit ad gloriam, etiam ultimum locum, inter devotos Tuo Nomini, occupare. Parces, pro innata benignitate, quòd diu protracto, ast nunquam deposito obsequio, tandem satisfacere intendens, proferam muneris locò, quantum possum, non quantum debeo. Excipies illud pari benevolentiâ qua promptitudine animi Tibi offertur, & quem plurimis favoribus jam auxisti, Paternò sinu fovere non desines. Mei autem muneris erit, vota Deo fundere: ut Te prosperum incolumemq́, Ecclesiæ, Patriæ, ac Domui, diutissimè servet. Quod reliquum est verbis D. Hieronimi Epist: ad Exuperium *concludo.* Tuæ benevolentiæ erit non eruditionem nostram, quæ vel nulla, vel parva est, sed pronam in Te suscipere voluntatem, ut nos ad cetera provoces.

JLLUSTRISSIMÆ
Dominationis Vestræ,

obsequentissimus Servus, & Exorator

Fr. Stanislaus Reformatus,
mpr,

CENSURA THEOLOGORUM ORDINIS

Librum, sub Titulo *Sarmatia Europæa, mox post diluvium inhabitata* &c: concinnatum ab A,R,P. Stanislao Kieczewski Ordinis Nostri & Instituti S, Theologiæ Lectore, Provinciæ Russiæ PATRE: uti Opus non exiguo labore sudatum, & Historicæ Antiquitati diluci-dandæ opportunum: attentè & diligenter legimus; in Eoq, nihil Orthodoxæ Fidei, bonisvè moribus quò quò modo dissonum invenimus. Proinde, ut sciendi avidis hôc sæculò potissimum hominibus, satisfiat, & Reipublicæ Literariæ novum quid accedat Typis mandari, congruum judicavimus. Datum in Conventu Leopoliensi ad S. Casimirum, Die 14. Februarij. Anno Domini. 1766.

Fr. Didacus Tarszeński Ref: S.Thæ: Lector: Provinciæ Russiæ Diffinitor Actualis. mpr:

Fr. Florianus Jaroszewitz Ref: S.T.L. Provinciæ Russiæ Pater & Custos Actualis. mpr.

Facultas A R.P. Ministri Provincialis.

Cum Opus, sub Titulo *Sarmatia Europæa mox post Diluvium inhabitata* &c: ab A, R. P. Stanislao Kieczewski S,T,L. & Provinciæ Nostræ in Russia *Patre* concinnatum Theologi ad id muneris à nobis deputati, reviderint, & in lucem edi posse probaverint. Authoritate Nostra præfatum Opus typis mandari concedimus, servatis aliàs de jure servandis Datt: in Conventu Nostro Leopoliensi ad S, Casimirum P, R, P. Die 16: Mensis Februarij A. D. 1766.

Fr. Ludovicus Hoffman Ref. S.T.L. Provinciæ Russiæ Minister Provincialis. mpr

LICENTIA Ordinis.

Fr, Josephus Mariâ de Vedano Ordinis Minorum S. P. FRANCISCI *Lector Jubilatus, & in Universa Cismontana Familia tàm Observantium, quàm Reformatorum & Conceptionistarum Commissarius Generalis ac in Domino Servus.*

Cum Juxta Apostolicas, Nostriq; Ordinis Constitutiones, de mandato Nostro idonei Censores Opusquoddam a R. P. Stanislao Kieczewski Lectore Theologo ac Nostræ Reformatæ Provinciæ Russiæ *Patre* elaboratum, cui Titulus est *Sarmatia Europæa mox post Diluvium inhabitata* recognoverint, illudq; ab ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos Præsentium tenore, ad salutaris Obedientiæ meritum, facultatem facimus, quatenùs servatis de reliquo servandis idipsum Typis mandari possit & valeat. Datt Romæ ex hoc Nostro Aracælitano Cænobio die 5ta. Aprilis, 1766.

Fr. Josephus Mariâ de Vedano
Commissarius Generalis. mpr

(LS)

De mandato Rdsmi. in Christo Patris
Fr: Antonius à Fundo Secretarius
Generalis. mpr:

APPROBATIO.

Stephanus *de Mikulicze* MIKULSKI Uq; Jur: Doctor, Ecclesiarum Cathedralis Metropolitanæ Archidiaconus, Collegiatæ Stanislaopoliensis Custos, Vicarius in Spiritualibus, & Officialis Generalis Leopoliensis.

Cum Opus, cui titulus *Sarmatia Europæa* &c: ab A,R,P. Stanislao Kleczewski, Ordinis Minorum S, P, Francisci Strictoris Observantiæ, Provinciæ Russiæ Sacerdote Theologo, elaboratè conscriptum, nil contrarium Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus in se contineat: quinimò eruditioni legentium, plurimùm conducat, ut Typis mandetur Authoritate Ordinaria Facultatem damus, & concedimus. Jn quorum fidem &c: Datt: Leopoli Die 26. Mensis Septembris Anno Domini. 1766.

S. MIKULSKI A.C. Vicarius in Spiritualibus
Officialis Generalis Leopoliensis.
mpr.

BENEVOLO LECTORI

OPusculum præsens, quod Tibi Amice Lector offero, Fragmentum est integri Tractatus de Diluvio universali, in tres Partes, distributi.

Partis Tertiæ Appendix, hic, primùm Caput ponitur (id exigente Ordine procedendi) alia Capita juxta hoc quidem Caput regulantur, verum secundò locò additur ille numerus, quem in integro opere primitus retinebant. Hoc namq; necessariò faciendum judicavi, ne in citationibus (illis præcipuè, per quas remittitur Lector ad dicta jam, vel dicenda infra) error incurratur, cùm nonnulla citari continget Capita, quæ hic non repe- riuntur. Si autem vg Caput secundum hujus Opusculi citaretur, quod in integro opere est decimum, dubitaret quispiam an numerus hic integri operis? an hujus Fragmenti? Caput secundum designaret? Cum igitur, sive ad calcem foliorum, sive in Jndice Caput vg Decimum reperies, facillimè devenies, ubi notatorum perfecta quærenda sit notitia? Sc: in hujus Fragmenti Capite secundo, quod integri operis est decimum, & sic de aliis. Si autem supra Caput Decimum sextum quodpiam aliud citabitur, intelliges non amplius in hoc Fragmento, sed in integro opere, quærendum esse illud, quod annotatur.

Avelli enim debuit hæc Particula à suò Corpore, ut votis plurimorum quantocyus satisfieri posset. Præterea cùm ampliores expensas (quæ pauperi Reformato prorsus desunt) requirat Opus integrum, præcipue cum Schemmatibus ex-

cudendum, habendam interim patientiam, nec tamen detinendum hoc Fragmentum, judicavi, quod gratiosos sortitum est Benefactores. Non etenim licet imitari Magnates, qui uno anno (cum placuerit) vastas ædificant moles, sed sufficit, cum hirundine parvum parvo addere, donec compleatur Opus, si non perfectum, saltim utile, & commodum.

Utile inquam (si hanc solum particulam respiciamus) Nil enim utilius, quam Patriæ suæ monumenta recolligere, nil turpius, quam in illa se peregrinum ostendere. Optant plures, ipsa fundamenta Gentis nostræ revidere, quod obscure docent: nostrarum Rerum scriptores, ultra Lechum non ascendentes. Et si quæ anteriorum sæculorum acta innuunt, adeò succincta sunt, ut prima tempora post Diluvium, extremo digiti vix attingant, persvasi quasi hæ Regiones incultæ, & populis prorsus vacuæ fuissent, nec dignum quid notatu de illis occurreret. Cum tamen speciale privilegium hæc Terra (quam Poloni colunt) sortita sit, quod ante alias Europæ Prouincias prius cæperit, habitari.

Jncusant quædam Gentes, Gothos, Wandalos, Longobardos, & alios: quod plurimis antiquitatum monumentis; & Bibliothecas scriptis Authorum, privaverint, quæ enim circumferuntur, mutila hucusq; deplorantur. Deest Cæsari, deest Tacito, Senecæ, Homero, Ovidio, sua integritas, Ctesias, Berosus, aliiq; prorsus interierunt, aut in paucis Fragmentis vivunt omnia hæc, aut vetustate temporis, aut Bellorum vi absumpta sunt. Multò magis lamentari decet Polonos, quod, Zamolxis, Aristeæ, Orphæi ac cæterorum Auctorum Scytharum, vel rerum Scythicarum, Scriptorum opera perierint, ex quibus nobilissimarum & toto Orbi notissimarum Gentium, Scytho-Sarmaticarum necti posset historia. Quæ enim hic collecta vides ab extraneis scriptoribus, & variis fragmentis, sive occasionaliter dictis, varieq; dispersis, coaluerunt.

Omnia benè, proposito meo optimè scriptorum infortunium explicavit noster *Monitor Anno hoc* 1766. *Die* 7. *Maij. Num*: 37. Singula namq; ibi annotata expertus sum in Opusculis meis editis. Nec spero meliora lapsis. Arguet quispiam, me succinctè scripsisse, benè! scribat fusiùs: increpabit obscuritatem, scribat clarius; subsannabit malæ analogiæ, vel diversæ locationi Gentium *à Ptolomeo, Strabone, Sansone, Sanadone*, &c: præstet hoc ipse meliùs. Damnabit studium meum & deprecationem meam non suscipiet invidus & intractabilis Lector, id ego non indignabundus feram; modò, contradictione sua bono publico serviat, & me titubantem fulciat, vel hallucinantem emendet. Non invidebo si illuminatò hòc sæculò, felicioris ingenii alius sortem nanciscatur, ut ductu istius crassioris fili profundiora abdita veritatis penetret, quæ ego, pro imbecilitate mea juxta concreditum radium à Patre luminum penitiùs scrutari haud valui. Maneat Laus amplissima alijs, qui egregio conatu, nec minori nominis gloriâ, suffulti copiâ Librorum, & capacitate expensarum, perfectiora edituri sunt. Mihi sufficiat hoc parvulum obsequium præstitisse Patriæ, & alios ad illustrandam antiquitatem Gentis, incitasse. Antequam scientia medica suis Regulis firmaretur, ac continua praxi absoluta evaderet, infirmi ponebantur in triviis, ut à prætereuntibus consiliò juvarentur. Hunc veterem morem ego quoq; imitor, sensum meum alijs considerandum exponens, gratum animum habiturus, tàm erga illos, qui opinionem adductam firmiori ratione, aut clariori Veterum, Authoritate solidabunt: quàm erga illos, qui errores prudenter emendabunt, expungentq;. Non enim aliud quæro, nisi ut per repetitas controversias ad DEI supremi moderatoris, majorem gloriam, purior, ac ornatior prodeat veritas.

CAPUT Imum

In quo nonnulla præliminaria ponuntur, de adventu Lechi in oras Poloniæ: & de populis, tùm ante, tùm post illum, in hac parte Europæ manentibus.

§ Imus



Ulgi hæc eſt opinio: Regiones omnes, quæ ſub Reipublicæ Polonæ dominio numerantur, ante adventum Lechi prorſus incultas jacuiſſe, & ſylvis, paludibus, ac deſertis campis, ſqualidas, ſolis feris pervias, notisq; fuiſſe, cujus contrarium, nedum ex hoc fragmento mei Operis conſtabit: ſed ipſa ratio Theologica ſvadet. Ex una namq; præmiſſa de fide. (homines ex Aſia per univerſum mundum diffuſos fuiſſe, poſt Diluvium (a) altera naturali, (quod in Europam aliter tranſire non potuerint, niſi per continentem, aut fretum aliquod, non multum amplum) infertur. Poſteros Nòé, aut per Boſphorum Tracicum, aut per continentem (ſi tunc, Pontus Euxinus & Mæotis, Oceano non miſcebantur) tranſiſſe versùs ſeptemtrionem, & inde, ſenſim diſſeminatas Gentes, in intimiora Europæ migraſſe. Dixi; *ſi non miſcebatur Pontus Mari?* Nam Plinius ex ijs, quæ defacto acciderant, infert, Pontũ ab Oceano quondam continente ſeparatum fuiſſe (b) *Non fuerat ſatis Oceano, terras, & partem earum, aucta immanitate abstuliſſe,* non

Polonia ante Lechum erat habitata

(a) *Gen:* 8 9. 10. 11.
(b) *Plinius Hiſt: Natur: Lib:* 6: *Cap.* 1.

non irrupisse fractis montibus, Calepeq; Africæ avulsa, tanto majora absorbuisse, quàm reliquerit spatia; non per Helespontum Propontida infundisse, iterum terris devoratis á Bosphoro quoq; in aliam vastitatem panditur, nulla satietate, donec expatiantur lacus ac Mæoti rapinam suam jungant. Invitis hoc accidisse terris, indicio sunt tot angustiæ, atq; tam parva, naturæ repugnantis intervalla,

Si ergo per continentem, vel exigua maris intervallá, hominibus patebat aditus in Europam. Et juxta communem Chronologiæ computum Lechus in oras Poloniæ venerat Anno 2893. post Diluvium: qui fieri poterat? vacuas hic terras extitisse, & incolis caruisse? Cum (ut opinor) satis clare ostenderim, etiam in remotissimam Americam, quadringentesimo post Diluvium Annò aliquot milliones hominum transire potuisse (c) Et, vivente Nóé, adeò numerosos fuisse populos in Asia, ut (præter deductas alio colonias) Ninus Monarcha Assyriorum, in campum eduxerit (decies septies centena millia peditum, ducenta millia equitum, nec non decem millia sexcentos currus falcatos: contra Zoroastrem Regem Bactricanorum, qui illi occurrerat, cum quadringentis & ultra millibus (d) Cùm igitur Polonia minùs distet à Babilone (unde, opinantur pleriq; dispersos fuisse homines) quàm America nec Asia capax erat alere tantam multitudinem Populorum; concedendum in Maritima Ponti, homines prius venisse, quàm in Americam: & inde processisse in oras Poloniæ modernæ, quæ viciniores sunt Ponto, quàm aliæ Regiones, versùs MARE (ut dicunt moderni) GERMANICUM, positæ. Adeò, ut non immeritò assentiri cogamur, à BORYSTHENE seu DNIEPR, TYRA seu DNIESTR, & ISTRO sive DANUBIO, velut ex vagina, cæteros

Lechus quando venit in has oras

Quando post Diluvium venerunt homines in Europam

(c) *Vide in Integrò de Diluvio oper: Par: III. Cap: 9 § 4. sequ:*
(d) *Vide in Integro Oper: Par: III. Cap. 17. § 13. sequ: fusè*

ros Europæ Populos effusos fuisse. Jta ut etiam Scythia Europæa (hæc eadem, ubi nunc dominium Poloniæ extenditur) jure meritò Officina Gentium dici valeat. (e) Lechus ergo hanc terram non desertam nec vacuam populis invenit: sed plenam hominibús & florentem, si non scriptis legibús, certè virtute bellica, & bonis moribús, quales illi ætati convenientiores fuerant: ut patebit ex sequentibus. Unde non immeritò contra opinionem *Lengnich*, (f) Polonos indigenas asserere possumus.

§ 2dus

QUis autem Lechus fuerit & unde venerit? in has oras, non æquè omnes conveniunt. Alii eum ex Sclavonia, alij ex Dalmatia, quidam ex Jllirico, sunt, qui ex Croatia advenisse, dicunt. Et mihi quidem in Croatia monstrata fuerat arx vetustissima planè diruta, supra Oppidum KRAPINA ultrà montem RAICZ quam incolæ, dicunt hæreditatem LECHI, atq; CZECHI, ibiq; æducatos fuisse affirmant. Regio quidem tota vetustatis monumenta habet, & Sclavorum antiquam sedem fuisse testatur. Etenim binis fermè miliaribus, antiqua Urbs supra *Dravum*, fluvium consistit, *Peta* dicitur Sclavonicè, idest *Quinta*, quod illa, inter præcipuas Jllirici Urbes quinta numeraretur, quam Slavi murò extruxerunt. Jn hac Civitate dicunt subscriptum fuisse *Edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis* (g) quod innuere videtur distichon curiæ Civitatis antiquitus inscriptum.

Lechus unde venit

Edictū describendi

Purpurat Augustus Petæ confinia Cæsar.
Purpurat & Christus profuso Sangvine mundum.

Hæc

(e) *Huetiana p:* 130. *edit: Amstelodamensis*
(f) *Godefredo, Lengnich. Dissert: de Polon. Majoribus* § 1.
(g) *Lucæ* 2. ℣ 1. *Vide Itinerarium meum Romanum pag:* 41

Hæc Provincia creditur Lechi fuiſſe Patria. Jn qua cum Fratre germano ſtrenuum adversùs confines agendo Ducem: cum cerneret, inteſtinis bellis omnia fædari, & nullas leges belli, paciſq; ſervari; conqvaſatis rebús cum ſubditis legionibus, Patrias reliquit ſedes, pergensq; ultra Danubium Regionem inter *Viſſurgim, Albim, & Vistulam* occupavit, Civitatem *Bremam* extruxit è Slavonico ſic àppellatam, quod ibidem *pondus* (quod Slavis *Bremi* dicitur) laborum ſuorum depoſuerit, primamq; requiem cum ſtrenuis Sociis nactus fuerit (h) Jnde, *Czechus* Bohemiam, ſive *Boijam* ſibi vendicavit. *Lechus* versus Orientem, ſuæ Gentis limites extendit, nedum accedentes ſibi diverſos populos incorporando, verùm fines Regni ſui fortiter, ab incurſionibus Germanorum ultra *Viſſurgim* manentium defendendo. Verum hanc opinionem de adventu Lechi ex Croatia, vel Dalmatia confutavit Cromerus (i) Nec alia placet eorum, qui Lechum ex Pannonia advocant (k)

Brema à Lecho extructa

§ 3tius

PRoximiùs veritati accedere videntur, qui Lechum in Sarmatia Europæa ortũ ducunt, & à Ponto egreſſũ gentis ſuæ ſclavinæ conſcripto milite, dimiſſo patrio Principatu, primũ transmiſſo Jſtro in vicinas Regiones veniſſe, deinde viribus auctis Græciam peragraſſe, & vaſtaſſe ſcribunt.

(l)

(h) *Vide Dlugoſz Annal: Tom. 1. Lib 1. Gvagninum in Chron: Sarmat: Lib: 1. Par: 2*

(i) *Cromerus de Reb: Polon: Lib: 1: Cap: 15*

(k) *Boguphalus apud Sommersberg: Tom: II. Scriptorum Rerum Sileſiticarum.*

(l) Sensim procedens in *Dalmatiam*, & *Jstriam* venit armatus, & ubiq; suæ originis reperiens incolas ab alijs gratè receptus, alibi manu forti viam sibi paraverat idq; circa Annum Christi 530. Eo prosperiùs, quod Justinianus Romanorum Jmperator bello Persico, Vandalicò, Gothicò, distractus insperatam Slavorum incursionem a finibus Jmperii non tam faciliter reprimere potuerit. Hinc conciliari possunt diversæ Historicorum relationes, qui Lechi sedem in variis constituunt Regionibus. Fieri enim poterat, ut in *Dalmatia*, *Jstria*, *Carinthia*. diutius moraretur, donec montosæ telluris fastidiò affectus, & periculum in se ruituri Cæsaris prudenter vitaturus, in has terras adveniret, quarum fertilitate, fluminum abundantiâ, campestrium commodis, allectus, sedem sibi, suisq; eligeret, facillimè ab incolis (ut pote ejusdem generis) Princeps salutatus.

Lechus venit à Ponto

De Lechi nomine nil scribunt Authores utrum illud ex primæva sede sua attulerit, an verò, posteà sic appellatus fuerit? Quemadmodum enim alia plura gesta Sarmatarum, silentur, ita hæc expeditio Lechi vix innuitur. Hinc nec mihi fas est de Lechi nomine, quidpiam determinare. Dicere autem cum *Lengnich* Lechum esse Personam confictam, contra tot Authorum constantem relationem prorsùs non audeo (m) Sed ampliorem hujus opinionis refutationem vide alibi (n) Ea tamen, quæ apud Kadłubkonem, & alios leguntur, quasi Lechus Alexandro Magno coævus fuisset-

Lechus unde dictus

De Lecho fabulæ

&

(l) *Sabellicus Ennead* 8. *Lib*: 2. *Cromerus de Reb. Polon*: *Lib*: 1 *Cap* 14: *Pastorius de Originibus Sarmàt. p.* 86: *Procopius Lib*: 3 *de Bel*: *Got*. (m) *Vide Godefredum, Lengnich Hist*: *Polon*: *Par*: 1. § 2 & *Dissert*: *de Major Polon*: § 367. &c. (n) *Vide hic in Integro Opere Par*: *III. Cap* 14. § 2.

& illo Duce, alijsq; ejus ſucceſſoribus, deletæ fuiſſent Alexandri Copiæ (o) nulli innituntur fundamento. Quomodo enim fieri poterat; ut cætera geſtá Alexandri. *Plutarchus*, *Justinus* &c. deſcribentes, hoc ſolùm non innuiſſent?

§ 4tus.

QUas verò Gentes in moderna Polonia & confinijs Lechus invenerat, omnes erant, ejusdem moris, lingvæ, & inſtituti. Ab alijs *Scythæ*, ab alijs *Sarmatæ*, à nonnullis verò, forte etiam *Slavi* terminò generali appellabantur. Unum tamen Populum minimè conſtituebant: nec uni Principi obediebant, ſed per Provincias diſtincti, quosdam Magiſtratus formabant. De rebus verò arduis conſulturi in condictum locum congregabantur ad comitia, in quibus liberè ea determinabant, quæ ex re magis opportuna videbantur. Uti de *Slavis Lutitiis* expreſsè teſtatur Ditmarus (p) De *Antis* Procopius (q) de cæteris, *Helmoldus* (r) qui dicit ſolos *Rarios* vel *Rugios* Regem habuiſſe: Alios communi libertate utentes de difficilibus, vel utilibus, conſilia publica celebraſſe, placita unanimi conſenſu concluſiſſe, ac executioni mandaſſe. *Polonia Populi ante Lechū*

Gentes has ſequentibus Capitibus enumero: & cum frequenter illæ occurrant, quæ longiori poſt diluvium tempore hanc terram colebant, ideo tamen eas commemoro, quod ante illas, aliæ hôc locô non occurrant antiquiores, unde ſupponuntur, aut ibidem fixas manſiſſe, aut locum Originis Jllarum non longe diſtaſſe. Præterea apud Authores, multò plures Gentium occurrunt diviſiones, quas ego quidem aut obiter innui, aut prorsùs tacui, ne opus excreſcat ſupra intentionem. *Mores Populorum*

(o) *Kadłubko: Lib: 1. Ep: 4. 8. 10 15. Orichovius Annal: Lib: 1.*
(p) *Ditmarus Hiſt. Lib: 4.* (q) *Procopius de bello Gothico Lib. 3. Cap: 7.* (r) *Helmoldus Chron: Slavor: Lib: 1. Cap: 2.*

Jllœ namq; ſubdiviſiones videntur eſſe Familiarum? quæ minores diſtrictus occupabant, & faciliter in gente, Provinciam integram occupante includi poterant. Sicut nunc, ſi Provincias Regni Poloniæ numerare vellem, ſufficeret ponere Palatinatus, non enumerando eorundem Palatinatuum Diſtrictus, ac Terras, in quibus diſtingvitur quidem populus, ſed non diſtinctione primaria & Principali.

§ 5tus

JNterea tamen, ſat numeroſas adduco Gentes: licet totum à Ponto tractum in pauciores Provincias dividere potuiſſem, ſcilicet, in puros Scythas, Sarmatas, Henetos, Jlliryos, Slavos Svevos, Venedos, Pannones &c. Hi namq; populi, famoſiores erant cæteris, adeoq; plures alios ſub ſe continebant. *Scythæ* quidam primitivi, ſunt noti antiquis hiſtoricis, & hoc nomine illi præcipuè intelliguntur, qui circa *Jſtrum*, *Tyram*, *Boryſthenem*, *Hippanim*, *Tanaim*, uſq; ad *Volgam* extendebantur (s) *Sarmatæ proprii*, juxta deſcriptionem Herodoti in Palatinatu Kijovienſi, & parte Ruſſiæ albæ habitabant (t) Verùm ſucceſu temporis adeò commixti fuerant Scythis, ut ob æqualem virtutis laudem, & Societatem armorum, ijdem, utroq; nomine appellarentur & omnes populi, (ubi nunc Valachia, Transylvania, Tartaria minor, Polonia, Volhyniaq; extenditur) Sarmatæ vel Scythæ æqualiter dicerentur: Adeo, ut non ſolum Poetæ, verùm Hiſtorici, hoc utroq; nomine tanquam Synonimo, uterentur ad deſignandam quamcunq; Gentem in prædictis Oris repertam. Jmò Plinius, Sarmatas ultra Pontum extenſos fuiſſe, a tergo Colchidis habitaſſe narrat. *Epogieritæ Sarmatarum populus in Caucaſi ju-* gis

(s) *Vide Herodot Lib: 2. & 5. fere per totum, Iuſtinum Lib: 2: & ſequ: fuſe* (t) *Herodot: Lib 4. Cap: 99. 110. & ſequ.*

gis, post quam, Sauromatæ. Ad hos confugerat Mythridates (u)

Heneti gens pariter Scytho-Sarmatica, primas sedes habuit in Paphlagonia circa Pontum. Hæc ampliata bifariam divisa fuit; alia sedit, in vicinia maris Adriatici, ortiq; sunt *Carni, Istri, Cænomani, Euganei*, cæteriq; populi, *Forum Julii* occupantes, & usq; *Padvam* ac *Vincentiam* extensi, à quibus (H. in V. mutato) *Veneti* orti sunt (w) Alia ipsorum pars ad Vistulam consedit: & Vandalis unita fuit, qui à *Zemovito* Principe Poloniæ Anno Christi 892. mirè exagitati fuerunt. (x) Dispersi autem sunt ex Thracia, postquam amisso *Pylæmone* Duce, post captam Troiam, errassent diutius. (y) Hinc accidit, eos aliquando pro Slavis quandoq; pro Jllyriis substitui. *Jllyrii* ejusdem pariter generis, multò amplius extendebantur. Tenebat enim, quid quid est à *sinu Fanatico* usq; *Pelopenensum, & Istrum* Sc: *Macedoniam Epirum, Pannoniam, Dalmatiam &c.* (z) *Pannones* quandoq; Jllyricum ipsum, & Dalmatiam tenebant, à Carpato Monte, usq; ad mare Adriaticum, & inde, usq; versùs Pontum extensi. (a) De Svevis, Slavis, Venedis infra dicetur. Ex his autem & dicendis infra.

Heneti qui;

Illyrij qui; Pannones qui

Collige imò Magnam partem Europæ non aliunde processisse nisi a Ponto, & Mæotide. Sive ex Scythia, quæ Pontum Euxinum undiq; ambit. Quod autem moderni populi dialecto differant ab antiquis Scythis, inde contigit: quod illa gens, quæ alteri prædominari cæpit, etiam idioma illi suum invexit, aut in toto, aut ex originali & adventitio mixtum. Subditi namq; volentes negotia exponere suis Præpositis, eo-

Idioma Slavonicum cur alteratū

B2 rum

(u) *Plini9 Hist: Natur: Lib: 5. Cap: 5.* (w) *Plini9 Hist: Natur. Lib 6 Cap: 2. & Lib: 37: Cap: 3. Strabo Lib 5. Salmasi9 in Solinum pag. 889* (x) *Cromer9 Hist: Polon: Lib: 2.* (y) *Strabo Lib 12* (z) *Vide Plinium Hist Natur: Lib: 3 Cap: 21 cum Notis Dalecarapi j. Strabonem Lib. 2. & 7. Alex: initio Lib: de Bell: Illiryco* (a) *Plinius Lib: 3. Cap 25.*

rum lingvâ, studebant illa explicare, sicq; insensibiliter, idiomata, vel saltim dialectum confundebant.

Collige 2dò Non statim, ac videris apud antiquos Authores, gentium aliquarum diversos limites, bella, dissensiones, judicabis illorum diversitatem originalem. Hoc etenim contingit etiam inter vicinos ejusdem gentis, ut cùm alter alteri præesse cupiat, quilibet vindicando jus suum, etiam contra fratrem arma cogatur arripere. Jmò unam Originem ex inde determinabis, si mores, idioma, cæteraq; distinctiva eadem videris. Sic dum in Jllyrios, Slavos, Venedos aliosq; dialectò differe animadvertes, & saltim vulgum simili lingva utentem audies; inferes, omnes ex unò fonte processisse. Magnates namq; auræ tenui, & aulicis moribus se accommodantes non ita firmiter Paternos mores retinent, uti plebs; quæ ab omni fastu libera minus curat placere aliis, sed eadem via incedit, in quam à simili Parentum simplicitate, introducta est.

Bella non arguunt diversitatē Gentis

§ 6tus.

SPecialiter autem in Polonia animadvertendum est, diversos populos, non facere Gentis distinctionem originalem. Quæ enim Gentes prorsus peregrinæ sunt, statim agnoscuntur, ex distinctis moribus, & nulla convenientia cum nativis hujus glebæ populis. Hinc *Kozacy*, licet frequenter rebellent, & se in libertatē reducere tentent multaq; Polonis damna tanquā alienigenæ inferant, ejusdem tamen stipitis rami sunt. Quia in lingva, moribus, victu cum reliqua plebe conveniunt. Verum quidem, quòd diversæ Gentes illuc confluant, ubi sunt Castra illorum, ut pote Jtali, Galli, Poloni, Germani, Lithvani, quos vel egestas pressit, vel criminum capitalium damnatos, in Patria jus vivere non permittit. Alii otiò tor-

Kozacy sunt nativi Slavi

pen-

pentes, & ad prædandum nati, illuc congregantur, virtutis, ac vitæ contemptores (b) sicq; colluvies diversorum populorum faceret distinctum populum, nisi Russi nativi, multitudine prævalerent, quibus cæteri idiomate, & moribus accomodari tenentur. Quia verò *Ukraina* paucas habet Ecclesias, atq; Religiosos; hinc illi prædones, facillimè multis persvadent vitam nequam, ita ut absq; lumine, ac bona doctrina manentes incolæ videantur non posse emendari. Sed & confluentes ex Polonia Coloni, ubi non reperiunt, à quibus erudiantur, degenerant in pessimos, suffragante, pravis conversationibus, terræ fæcunditate, cui nil boni deest, idq; parvulo impenso labore. Rectissimè dici posset de hac Regione, quod aliquando de Getis cecinit Ovidius (c)

Si quis in hac ipsum terra posuisset Homerum
Esset, crede mihi! factus & ipse Getes.

Qui nam verò Kozacy *propriè* dici mereantur ex primitiva eorum appellatione inferri potest. Si enim *Kossacy* nomen sortiti sunt *à Kosa* scilicet *falce* (ut voluit *Herbinus*) (d) Jllos primò sic appellatos fuisse suppono, qui ultra Borysthenem habitabant inter *Mæotin*, & *Tanais* fontes. Ubi Scythæ Basilidæ habitarunt, aut qui *Cimmeriam* modernam Sc: *Crimeam*, incolebant. Jbi enim est peninsula *Kosa* ab antiquis dicta, quæ aut populo nomen dedit, aut ab illo sortita est. Si autem ab incurvarum & falcatarum framearum usu appellati sunt? etiam *Getas* possemus dicere *Kosakos*: de quibus Statius (e).

Unde sic dicti sunt.

F*alcemq;* *Getes*, *Arcumq;* *Gelonus*.

Pastorius, ex aliorum sententia, dicit appellatos, fuisse à ge-

(b) *Reinoldus Heidenstein Belli Moscovitici Lib*: 4: (c) *Ovidius de Pont*: *Lib*: 4 *Eleg*. 2: ℣ 21 (d) *Iohan*: *Herbin in Kiiovia subterranea*. *Cap*: 2. (e) *Statius Achilleid Lib* 2. ℣ 419.

genere quodã navigiorum, quæ *Kozy* dicuntur. Sed illæ naves, ex quibus *Kozacy* classem componere assveverunt, non *Kozy*, sed *Czayki* constanter dicuntur, & navigiorum (quæ *Kozy* apellantur) non in Borysthene, sed in Vistula usus est frequentissimus. Jpse vero Pastorius ex propria sententia dicit primitivè appellatos fuisse *Chodziacy* sive *pedites* (f) Verum hoc quoq; non, placet, tùm quia remotissima est Analogia; tùm quia frequentiores *Kozacy* sunt equites, quam pedites; & inter antiquos Scythas *Iazyges* præcipui fuerant, qui pedites pugnabant & tamen nunquam *Kozacy* sunt dicti (g) Optimè verò potest sumi *Kozakorum* denominatio à *Koza*, sive *Capra*, quòd contra aeris injurias pellibus caprinis vestiantur. *Vel*, quod adinstar Caprarum ad omnia agiles velociter discurrant. (h) Et sic nomine *Kozakorum* venient non populus sed milites levioris Armaturæ, aut Vagabundi (i) Jllorumq; origo incidet in Annum 1516. quando *Mindy Gereij* Hanus Perekopensis, violata fide sub Sigismundo ad *Busk* usq;, & hinc in *Hungariam* irrupit, & Regionem ad quadraginta milliaria Polonica, insperatè vastavit. Tunc enim Regni Proceres non amplius juramento Paganorum confidentes, aulicos suos milites, levis Armaturæ conscripserunt: qui Duce *Proculo Lanckoronski* in Tartariam irruperunt, greges abegerunt, & Turcas Tartaris unitos deleverunt, spoliisq; onusti versus Kijoviam redierunt, ac infra catadupas Borysthenis, ubi præceps cadit unda per prærupta rupium, sive (ut vulgo dicunt) *Porohy* seu Limina in campestribus sederunt, insulasq; Borysthenis muniverunt: sicq; transitum per Borysthenem Tartaris impediverunt: Jnterea victum ex piscatione quærentes, arma tractabant. Hyemabant

Ethymologia eorum nominis

in

(f) *Joachimo de Hirtenberg. Pastorius Hist: Polon: Par:* 1 *Lib:* 1.
(g) *Vide hic Par: III. Cap.* 14. § 19. (h) *Piasecki in Chron: ad Ann:* 1645; (i) *P. de Valle Itiner: Tom:* 2. *&* 3.

in Opidis *Czyrkasy*, *Kaniow*, *Białacerkiew*. &c. relictis paucis ad custodiendos limites, arma, & canones, quos Turcis eripuerunt. Et ab hinc cæperunt numerum sui augere, nuptias recusantes. (k) Quia verò infra limina Borysthenis habitarunt. *Zaporozcy* sive *ultraliminares* dicti sunt. Ab aliis autem *Nizowi Kozacy* Sc: *infra limina manentes* appellantur. Vel, quod ultimum atq; infimum locum in Castris sortiantur: vel quòd campos infra cataractas Borysthenis, & plana Regionis illius inhabitarent (l) Postea Ducem sibi proprium crearent & Turcas Tartarosq; pluries excussâ prædâ deleverunt. Imò, classe mari imposita Anno 1616. *Traciam*, *Bythiniam*, *Paphlagoniam*, *Trapezuntem*, *Synopen* &c: Urbes vastaverunt, ipsamq; *Constantinopolim* terruerunt. Plurimum aliquando juverunt Polonos præcipue sub Duce suo *Eustachio Daszkowicz*. (m) Illorum merita remuneraturus Stephanus Rex Anno 1576. Opidum illis *Trechtemirow*, cum suo Districtu donavit. Sed postquam depravatis moribus, graves essent ipsis Polonis, ac tumultus excitassent, nec non per continuas incursiones finitimorum Turcarũ; lites, ac bella, succenderent: Arma deponere jussi sunt: & contra eorum insolentiam plura conclusa in Comitiis Regni (n) Nunc verò omnis illa Regio solis prædonibus abundat: qui in Poloniam, Tartariamq; excurrunt, sed tanquam infames patibulò puniuntur. *Rustici*, Palatinatuum Kijoviensis & Braclaviensis

Eorum res præclarè gestæ.

Eustachy Daszkiewicz hetman koronny Zaporoski

(k) *Gvagninus in Descript: Russiæ Chron: Lib* 3. *Par: III*

(l) *Cnapius in Dictionar: Polon: verbo* Kozacy *item v* Nizowi

(m) *Hornius in Orbe Politico. Kojałowicz Hist: Lith: Par:* 2. *Lib:* 7. *Illu: Iaco: Sobieski Lib:* 2. *de Bello Chotimensi. Joachi: Pastorius Lib de Bello Cosacico & Hist: Polon: Par:* 1. *Lib.* 1. *Maximilian: Fredro in Hist. Henrici Pag:* 17. & *sequ.*

(n) *Constitut Reg: Polon: Anno* 1596 Tit. o Kozakach & 1609. *Tit.* 78 & 1645. *Tit* o Swawoli & 1624. Tit. Kommissya Kozacka & 1635. *Tit:* Pohamowanie inkursyi & 1638. *pag.* 6. *sequ.* &c.

Haydamacy unde dicti

ensis, abusivè tantum *Kozacy* dicuntur. Quod illis prædonibus quandoq; socientur, Vulgo etiam dicuntur *Haydamacy* cujus appellationis originem credo esse ab exclamatione *hayda!* quâ utebatur *Basilius* Magnus Dux Moscoviæ & Tyrannus. Quoties namq; suos excitabat ad necem aliorum, vel illam lætus spectabat *hayda! hayda!* conclamabat (quasi *euge! euge!*) Hanc forte vocem pro tessera assumpserunt hi nebulones, a qua deinde ipsi quoq; appellationem *Haydamacy* sortiti sunt.

§ 7mus

Hebræi quando in Poloniam venerunt

HEbræorum Gens plurimum in Polonia multiplicata est. Creditur venisse ex Germania, cujus Gentis lingvam etiam nunc retinet, licet multum corruptam (o) Ego quidem permitto plurimos Judæos ex Germania in Poloniam venisse (præcipue sub Tito & Vespasiano, quando Palæstinâ extracti in Europa tanquam mancipia vendebantur) Jta namq; ex Jtalia per Germaniam, huc illis facilis erat aditus. Verum tamen prius quàm Nomen Poloniæ audiretur, Judæos iam in his Oris vagatos fuisse reperio. *Rab Manasse* (p) asserit: quod Judæi per *Salmanazar* partim in captivitatem ducti, partim dispersi (q) Quidam ex duodecim Tribubus in Scythiam transierunt. Unde inferunt plures, quod circa Caucasum, & mare Caspium consederint. Jbiq; Gentibus commixti, Tartaris nonnullas suas leges impresserunt. Ut pote abstinendi à carne suilla, circumcisione initiari; Fratris demortui absq; liberis decedentis uxorem ab alio Fratre ducere ad excitandum semen Fratris sui &c. Hinc verò in finitima Regna

(o) *Hartknoch de Rep: Polon: Lib. 2. Cap: 2. § 4.*
(p) *Rab: Manasse Ben: Issrael. in Lib:* spes Jsrael.
(q) 4. *Reg:* 17 ỷ 6 & 18. ỷ 10,

Regna *Moſcoviæ*, *Poloniæ*, *Bulgariæ*. *Perſiæ*, &c. diſperſos fuiſſe tenent plurimi. (r) Contendunt quidem Judæi Chinenſes, ſe antiquiſſimos ex Judæis Sinas in habitare (s) Verùm ipſa loci poſitio ſvadet prius potuiſſe venire per *Armeniam*, *Georgiam*, *Aſtrachanum &c.* in partes Moſcoviæ & per Natoliam ad Ponticas Regiones, in Ruſſiam; quàm per *Syriam*, *Dyarbek*, *Killan* in Perſiam, Imperium Mogoli, deinde in Chinas penetraſſe. Sed & Villalpandus, demonſtrando incredibilem multiplicationem Judæorum ſub David & Salomone: dicit, Judæos temporibus Salomonis in has oras Poloniæ migraſſe. Quod confirmat teſtimonio *Staniſlai Reſcij*, Legati à Rep: Polona ad Regem Siciliæ. Hic enim aſſerebat, inventum fuiſſe in Polonia antiquiſſimum ſepulchrûm, in quo repoſitum erat cadaver procerrimæ ſtaturæ Judæi; in indice autem manus, tantæ magnitudinis fuerat annulus, ut manum integram viri poſſet ambire (ego ſuppono armillam brachij potius fuiſſe:) Inventi etiam ſunt quinq; ſicli argentei, Schemma, figuram, & pondus habentes illorum, qui ſub Salomone ſunt cuſi. Quæ omnia *Reſcius* Villalpando, & aliis, Neapoli monſtraverat (t) Ex quibus infertur aut tempore Salomonis, àut brevi poſt, Judæos in modernam Poloniam tranſiiſſe. Quis enim nummos Salomonicos ad Scythas deportaſſet? Pacatiſſimo autem illo tempore, Judæa florebat populis, & commerciis propter quæ Hæbrei in diverſas orbis partes diſperſi ſunt.

Hebræi in his oris tempore Salomonis.

Aliud ſimile exemplum idem Author adducit reperti ſe-

C puchri

(r) *Philippo: Mornæus de verit: Relig: Chriſt: Cap. 26. Genebrardus in Chroni: Author Relig. mun: Tom: 2. Baſnage Tom. 5 L. 7 Cap. 33. Iurnal: de ſtavans Anno 1701. Die 7. Mai*

(s) *Baſnage Hiſt. jud: Tom. 5. lib. 7. Cap. 33. Author. lib. Relat. ſinar. Jmperij impreſſi Pariſiis 1718.*

(t) *Villalpandus de Poſteriore Ezechiel viſione Tom. 2. Par. 2. Cap 58.*

Etiam in Hiſpania pulchri in Valentia prope portam arcis ſaguntinæ Anno 1480. cum hac inſcriptione literis Hebraicis, *Hoc eſt ſepulchrum Adoniram, ſervi Regis Salomonis, qui venit ad colligendum tributum - - - & mortuus eſt - - - die - - -* (Quæ punctis notantur in corroſa petra, legi non poterant) De quo plura ibidem adducit teſtimonia. De hoc *Adoniram* legimus in ſcriptura (u) eum annumeratum fuiſſe Nobiliſſimis Principibus Salomonis, & præpoſitum ſuper tributa. Non pauci igitur debuerunt manſiſſe in Hiſpania Judæi, ad quos tantus Princeps miſſus fuerat. Eadem ergo circumſtantia, quæ pepulit Judæos in Hiſpaniam poterat eoſdem evocare in Scythiam antiquam, ubi nunc eſt Polonia. Licet nolim aſſerere, tàm multos fuiſſe, ut nunc. Quot vero fuerint? non determino; ſufficit, fuiſſe.

Hebræi Poloniæ peſſimi. Paucis tamen; poſt ultimam diſperſionem, plures additi ſunt: & quidem peſſimi. Scimus temporibus Chriſti varias fuiſſe hæreſes inter Judæos sc: *Saducæorum, Hærodianorum, Samaritanorum &c.* (v) Poſt everſam Jeruſalem in Chinas venerunt, *Cuthæi & Epicuræi,* qui multum de Paganiſmo Chinenſium ſuis ritibus admiſcent. (x) In Portugalia & Hiſpania conſederunt *Saducæi* qui in Hollandiam poſtea migrarunt, licet plura traxiſſe videantur etiam a Sarmatanis (y) Nobis verò commanent reliquiæ peſſimorum *Phariſæorum,* qui fictis traditionibus, ſuperſtitionibꝰ fabulis, depravàrunt legẽ Moyſis. Colliges autem eorũ convenientiã ex ſequentibꝰ, quæ notantur in Evangelio. *Philacteria ampliata* (z) Ablutio manuũ ante ſumptionem, cibi: (a) Item, ablutio poſt converſationem cum extraneis. (b) Lotio vaſorum ſi ab aliis tacta fuerint (c) Nulla

(u) 3 *Reg.* 4, *v.* 6. & 5. *v.* 14. (v) *Math.* 15. *v.* 2. & 22: *v.* 19. 30. *Marci* 7. *v.* 2. & 12. *v.* 25. *Luc.* 7. *v.* 34. & 20. *v.* 19.
(x) *P. Gozani in Relat. de mor. Chinenſ.*
(y) *Bernard. Piccard. ſupplem: aut, Diſſertat: de Leon, & de P. Simon. Tom.* 1. *pag* 90. (z) *Matth.* 23. *v.* 5. (a) *Matth.* 15. *v.* 2. *Marci* 7. *v.* 3. (b) *Mar.* 7. *Luc.* 11. *v.* 38. (c) *Mar.* 7. *v.* 4.

la participatio in ſumendo cibo cum exteris (d) Jejunium bis in ſabbatho (e) Fimbriarum dilatatio (f) Traditionum Paternarum zelus (g) Metempſychoſis (h) &c. Quæ cùm iam alibi ſufficienter probaverim: non repeto.

Caraimitæ verò, qui pauciores in Polonia reperiuntur (utpote quos Judæi Phariſæi ſemper deprimunt) non tàm bono publico nocent; cum omnes traditiones Rabinorum reijciant (ſolis libris Pentateuchi retentis) adeoq; nec tam crudeles ſunt; ut eodem Libello de crudelitate *Judæorum* demonſtravi.

§ 8vus.

AD extremum ſparſim in Polonia reperiuntur Tartari. Hos quidem in Lithvaniam deduxit *Vitoldus* Magnus Dux Lithvaniæ, qui Anno Chriſti 1397. devictis Tartaris Trans-Volgenſibûs, & Nahajenſibûs, integras eorum tribus ſive *Hordas* tranſtulit in Lithvaniam, quibus colonias diverſas, & Civitatum ſuburbia ad habitandum aſſignavit. (i) In Ruſſia autem vagi Tartari quandoq; pagatim ſedent; pro obſequijs, quæ Magnatibus præſtant fructibus terræ utentes, *Lipkowie* communiter appellantur (k) Extant de illis plurimæ in Regno noſtro conſtitutiones, & Leges. Hi prorsûs advenæ & peregrini ſunt non puri *Scythæ* licet antiquum nomen *Lipki* ſive *Lipoxai*; aſſumpſerint: de quibus infra fuſiûs dicetur. (l) Vagàtur prætetea per Poloniam gens quædam ignota, *Cygany* vocamus, illos *Cynganos* vocat *Cuſpinianus*, *Cedrenus*, *Rhodiginus*. Volateranus *Uxios* ſive *Vates Perſas* appellant. *Ægyptios*

Tartari non ſunt Scythæ.

(d) *Matth.* 9. *v.* 11 *Luc.* 7. *v.* 39.
(e) *Matth:* 15. *v.* 5. *Luc.* 18. *v.* 12. (f) *Matth.* 23 *v.* 5.
(g) *Marci* 7. *v.* 10. *ſequ.* (h) *Matth.* 16, *v.* 14. (i) *Koiałłowicz Hiſt. Lith: Par* 2. *Lib.* 2. *ad An.* 1397. (k) *Vide in Integro hoc opere Par.* 3. *Cap.* 12. § 17. (l) *Vide integri Operis Par:* 3, *Cap.* 11. § 3.

Munsterus; *Assyrios* & *Cilices Polidorus*: *Cyngaros* vel *Cianos Itali*. *Philistæos* vel *Philistinos*, noster *Przyluscius* (m) Totorigenes ipsis assignantur, quot authores de illis tractant. Ipsi fingunt, quod propter apostasiam à fide, septennalis peregrinatio, & exilium à domo, illis in pænam assignata fuerit. Nonnulli autem confingunt, quòd pæna hæc illis imposita fuerit, quia Beatissimam Virginem Mariam fugientem in Æpyptum, hospitio recipere noluerunt: Fabulas istas, cum citatis à se Authoribus refutat *Delrio* (n) Hoc certum! errones esse, ac perditæ vitæ viros, otio deditos, & præstigiis viventes: nullius fidei, licet quamlibet libenter amplectantur. In Germaniam plurimi advenerunt. Anno Christi 1417. (o) Ex Assyria venisse primum docet *Polidorus*: & esse reliquias Sacerdotum Deæ Syriæ; unde eos imitantur stigmatibus, quæ corporibus suis inurunt (p) *Crespetus* ex Ægypto venisse affirmat. (q) Ego verò suppono, esse *Mauros*, vel *Afros*, sive reliquias illius populi, qui superiorem Ægyptum incolebat præcipuè prope Abyssinos. Eo autem tempore, quo Mauri Hispaniam occuparunt, etiam ipsi in Europam penetrarunt. *Hamaxabij* apellabantur, ab antiquo usq; nunc nullas fixas sedes habendo, de quibus Sylius (r)

Cingari sex populi.

Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arva
Mos: atq; errantes, circumvectare Penates:

Sunt Afri reliquiæ Maurorũ

Noti erant illorum mores, & genus, Tertuliano, qui *Marcionem Hamaxabio*. instabiliorem appellat, (s) Postquam verò

(m) *Przyluscius in statu. Reg. Polon.* (n) *Delrio Disquisit: magic: Lib. 4. Cap. 3 Qu. 5.*
(o) *Munsterus Lib. 3 Cosmograph fol. 257. Grantzius Lib. II. Saxoniæ Cap. 2.*
(p) *Polidorus Lib: 7. Cap. 7. de Rerum inventar.*
(q) *Crespetus Lib. 1. de odio Sathoneæ Discursu 12.*
(r) *Silius Ital: Belli Punici Lib. 3 v. 290.*
(s) *Tertulianus con: Marcionem Lib. 1. Cap. 1.*

rò ex Hiſpanijs pulſi ſunt Mauri, horum reliquiæ, per *Italiam Galliam, Germaniam &c.* diſperſæ ſunt. Quia verò ex Aragonia in has oras per montes Pyræneos deſcenderunt, à flumine *Cynga* ex ijſdem montibus profluente: ab eodem flumine in Europa errones *Cyngari* ſunt appellati. Quod verò Aventinus videtur inferre ex lingua Venedica illos ſlavos eſſe (t) id parum probat: ubicunq; enim verſantur, facillimè addiſcunt illius Gentis idioma. Quamvis non negem plurimos loqui ſlavonicè. Cum nullibi tantas turmas illorum mihi videre licuerit, quàm in *Hungaria*, ubi pervalet ſlavonicum idioma. Carolus M. ex Germania eos excedere juſſit. (u) Et undiq; pelluntur, tanquam peſtis populi, licet flagellati, pulſi extruſi, iterum redeant. Ex dictis hactenus infertur omnes incolas Regni Poloniæ, eſſe ſurculos unius ſtipitis, ex Japhet aſcendentes. Præter Tartaros, Hebræos. atq; Cyngaros. Quorum primi ex Aſia in Europam ſerò nimis poſt Diluvium advenerunt. Cingari ſucceſſu temporis ex Africa commigrarunt. Horum omnium Protoparentes ſunt, aut *Sem*, aut *Cham* Filij. Hæc ſunt, quæ pro pleniori intelligentia, ſequentium addere viſum eſt. Nunc ſequuntur aliquot Capita ab opere de Diluvio univerſali, avulſa, quæ quidem ordinem ſuum in hoc fragmento ſervant, Verum additur etiam ordo in primitivo opere ſervatus. Cum ergo occurrent aliquando citationes ex alijs capitibus nonnullis in locis reponendæ, hoc ſolum Caput pro primo habendum erit: alia ex indice inquirenda, juxta numerum originalem, quem in integro opere ſervant, & hic ſecundò locò, annotatur.

CAPUT II.

(t) *Aventinus in Annal: Boiorum Lib: 7.*

(u) *Petrus Gregor: Lib. 34. Syntagm. Jur Univerſ: Cap. 16. Num. ult. Vide etiam Biſciolam Lib. ult: Cap: 4. Tom. 1*

***)(✠)(***

CAPUT IIdum

Quod in integro Opere est X. Partis III.

De Origine Primarum Gentium in Europa, post Diluvium.

§. Imus.

NObilissima pars orbis Europa, licet in sui amplitudine superetur, à reliquis tribus maximis orbis districtibus, ut pote, quæ latitudine vix 225. milliaria Polonica attingat, in longitudinem verò 750. milliaribus solum extendatur. Excellit eos tamen, tùm præstantiâ excultorum ingeniorum; ac politiæ, legibus optimis, temperatæ, tum frequentiâ populorum, tum extensione Regnorum, tum (quod primò dicendum fuerat) rectissima fide Christi: quòd in ea floreat doctrina Divina, purissimæq; Theologiæ exercitium. Licet enim magnam illius partem occuparint Hæreses *Lutheranorum*, *Calvinistarum*, *Zvinglianorum* & cæterorum plurimorum. Attamen fides orthodoxa, velut palma pressa persecutionum onere, inter media ruinarum fragmenta (vincens hæc omnia) erigit caput, & velut inter vepres, aculeosq; purissimum lilium pullulat absq; læsione sui. Non illam stercus illud putidissimum Schismatis, hæresisq; ullatenus inficit, quin pulchrius, & fæcundius, intra sordes, plenum electò granò elevet culmum. Politicum quoq; regimen illum ascendit gradum, quem antiquitas, nec à limine prospexit. Si namq; amplitudinem Assyriorum Imperij, Medorum, atq; Persarum, spectemus, strictioribus conclusum erat limitibus: Imperio Alexandri; Romanorum, & nunc dominantium Regum: Alexandri Imperium per *Asiam*, *Armeniam*, *Albaniam*, *Capadociam*, *Syriam*. atq; *Ægyptum* protensum fuerat. Transiit Caucasum Taurumq;, & Bactros,

Europæ encomium

Latitudo Imperij.

Me-

Medos ac Perſas domuit. Cæpit Indiam & fines attigit (v) quos aliquando *Liber Pater* emenſus eſt. Ideo ab orientalibus *Eſcander*, *Dulkarnim* ſc: *Alexander Bicornis* appellatur, quòd, duo mundi cornua orientem, atq; occidentem teneret (x) Romani multò latiùs extenderunt Dominium. Aſiam namq; Europam, & magnam partem Africæ in ſuam poteſtatem redegerunt. De quo ab omnibus Authoribus redditur teſtimonium, & inter alios id confirmat Tibullus. (y)

Roma! tuum nomen terris fatale regendis,
Qua ſua de Cœlo proſpicit arva Ceres.
Quâq; patent Ortus, & quâ fluitantibus undis,
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Non tamen politico Regimine illo attigit hæc Urbs, quô ſe extendit Authoritas Chriſti in ſuis Vicariis ſummis Pontificibus, nunquam deficiens. Omnem enim terræ angulum hæc poteſtas implet, ut eam devotè alloquitur S. Leo Pontifex. *Ut Civitas Sacerdotalis, & Regia, per ſacram Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta, latiùs præſideret, Religione Divina, quàm Dominatione terrena* (z) Idem ferme S. Proſper cecinit. (a) *Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris facta Caput mundo, quid quid non poſſidet armis Religione tenet.* Imo Regum Europæorum; ſi ditiones per Aſiam & Africam colligas, totamq; Americam Europæ legibûs moderatam, conſideres; nulla pars Orbis, illius gloriæ adæquabit.

§ 2dus.

(v) *I Machab.* 1. *v.* 3. *Joſeph Antiqv: jud Lib.* 2. *Cap.* 8. *Curtis Lib:* 4 *Cap* 8 *&* ſequ. *Didior: Sicul: Lib* 20. *Vide etiam Juſtinium Plinium, Plutarchum, Arrianum &c*

(x) *Herbeloth: Bibliot orient: Tit. Eſcander pag.* 217. *ſeqv.*

(y) *Tibullus Lib* 2. *Eleg.* 5. *v* 57.

(z) *S. Leo Pap ſerm.* 1 *in Natali SS Petri, & Pauli.*

(a) S. *Proſper in carmine de Ingratis.*

§ 2dus,

Europæ nomen in Scriptura non est.

EUropam, post dispersionem Gentium, simul cum Africa, frequentari cæpisse, suppono: ob æqualem fermè distantiam ab Asia. Nulla tamen ipsius fit mentio in Sacra Scriptura, quamvis aliquæ Regiones Europæ (saltim in Vulgata) nominentur. Cùm etenim Scriptura, & Prophetæ, loquuntur principaliter Hebræis, nulla occurrit eo tempore occasio, ut Europæorum fiat memoria. Sed (quodmirari juste possum) etiam Talmudistæ nil de Europa loquuntur, quamvis eo tempore quo compilatum fuerat Talmud, iam eversa fuerat Hierusalem, & plures Judæorum, tùm per Græciam, tùm per Italiam vagarentur. Imò antiquis Græcis Historicis paucæ admodum Regiones notæ fuerunt in Europa. *Herodotus* diligenter investigans fines Europæ, fatetur neq; orientalium, nec Aquilonarium Regionum limites potuisse addiscere: & utrum mari claudatur? vel continens extendatur, se ignorare. (b) Audierat, ad occidentem dari quendam fluvium, *Eridanum*, qui in mare Septentrionale evolvitur, relatis tamen minimè credidit, quòd *Eridanus* vox Græca sit, concluditq; Pòëtarum esse figmentum, omnia narrata de hoc flumine (c)

Vistula Eridanus Herodoto.

Vistulæ tamen denominatio in Eridanum conversa, fecit hallucinari Herodotum, circa veritatem fluvij. Qui error frequenter occurrit Authoribus, aut annotantibus dicta aliorum, aut scripta citantibus, qui deinde exterarum Gentium vocabula ad suam dialectum trahendo, significatum obumbrant. Rem verò, non vocem examinantibus patet; Vistulam per Eridanum designari. Quia namq; in ipsis faucibus Vistulæ conjungitur *Radunia* fluvius, qui à nonnullis *Roddau*-

ne

(b) *Herodotus Lib. 4. Cap. 44. seqv.*
(c) *Herodotus Lib. 3. Cap. 115.*

ne, aliis *Reddane* nominatur) Hinc, minus attenti rerum veritati Scriptores, substituerunt pro *Radunia*, *Rhodanum* nobilem fluvium, hic verò successu temporis, in *Eridanum* apud Græcos degeneravit. (d) Certè *Eridano* nostro, sive *Vistulæ* conveniunt omnia, quæ de *Eridano*, (ut putat) conficto, narrata erant Herodoto. Nimirùm, quod ab occidente subeat mare Septentrionale Sc. *Balthicum*, quòd circa illum colligatur electrum & Cassiteris. Nullus enim ignorat, his, & aliis commendari littora nostra Maris *Baltici*, præcipuè collectione electri, seu succini, in magna abundantia (e) Nec prædicta attribui possunt *Rhodano*, qui ex Helvetia ortus, Galliam irrigat. Hic enim Fluvius, non ab occidente in Septentrionem; sed ab oriente versùs occidentem, & mox versùs meridiem fluit: deinde in mare Mediterraneum, sive *Tyrrhenum* (quod pariter septentrionale dici non potest) illabitur. Nec unquam in littore *Rhodani* auditum est, vel visum electrum (nisi forte peregrinum) Quod etiam addit Herodotus. *Nec Cassiteridas quidem novi Insulas unde ad nos venit Cassiteros stannum* (f) ostendit commercia inter Græcos, & Accolas maris Balthici jam tum à Plinio instituta fuisse, & satis commendata floruisse. Scio enim *Cassiterites* Insulas à Plinio atq; Strabone (g) eas appellari, quæ Phænicensibus subministrabant plumbum candidum, seu stannum; congruitq; ipsum nomen (stannum enim ab Hebræis aliquando *Kastira*, aliquando *Kashara*, ab Arabibus *Kasdir* appellabatur) (h) A quibus omnes Insulæ plumbiferæ, & stanniferæ, Cassiteri-

Illustratur locus Herodoti.

D des

(d) *Vide Cluverium Antiq. Germ. lib.* 3. *Cap.* 34. & 49. *Isidorum de Orig. lib* 4. *Cap.* 6.

(e) *Vide hic integri Operis Par. III. Cap* 13 *paragraf* 9. *seq.*

(f) *Herodotus Lib* 3. *Cap.* 115.

(g) *Vide Plin. Lib* 4. *Cap* 22. & *Lib* 7 *Cap.* 56. *Strab. Lib* 3.

(h) *Bochartus de Phænic. Colon. Lib.* 1. *Cap* 39.

des sunt dictæ. Hinc Baudrandus *Cassiterides* in ora Boreali Gallæciæ, & in Oceano Cantabrico locat. Ex quibus colligitur Angliam indicari, unde & præstantissimum stannum adfertur, & Cantabrigiensis commitatus ibidem sat natus est: Nec obstat quod Plinius ex adverso *Celtiberiæ* dicat has fuisse Insulas, id enim Angliæ positioni minimè contrariatur. Imò Celtiberiam non solam Hispaniam dicere possumus, sed etiam partem Scythiæ infra *Albim* positam: ubi *Celtæ Scythæ* habitarunt: qui *Rugiis* aliisq; populis conjuncti Romanorum Sedes invadebant. (i) Ad hos igitur Celtas stannum ex *Cassisteride* Insula Sc. ex *Rugia* moderna, aut alia Insula maris Baltici, in continentem deportabatur. Jlla verò Insula, si stannum proprium non habuit, ex moderna Anglia recipiebat. Sicq; ambæ Insulæ inter se commercia miscentes *Cassiterides* (è Slavonico *Kassiter*, quod stannum significat) appellari poterant: ex quibus Mercatores una cum electro, aliisq; mercibus in longinquas Oras, stannum deportabant. Ex quibus sat luculenter deducitur tempore Herodoti non ignotum fuisse tractum *Poloniæ* modernæ (licet sub alio nomine) adeoq; nec Europæ: sed variatione appellationum, confusa Historia rem clare aperire non poterat. Et quemadmodum *Vistula, Rhodanus, Eridanusq;* confunditur, ita aliorum Poloniæ atq; Europæ Fluminum, ac Regionum obscura nimis apud Veteres ponitur notitia. Præcipuè illarum, quæ longiùs à mari distabant: ut probari potest ex ipso Vistula, cujus ostia meliùs noscebantur, quàm fontes. Unde inferendum primos homines, novisse meliùs littora marium, quàm mediterranea. Europam igitur sub alio forte nomine latere Sc. Scithiæ, Septentrionis &c. apud antiquos suppono, ignotam non credo. Hanc autem denominationem, sumpsit ab Europa. *Agenoris* Regis Filia, quam Jupiter rapuit, &

Cassiterides Insula ubi?

Europa unde dicta est?

Pater

(i) *Trebellius in Claud. II. Imper. Cap 6.*

Pater sub nomine *Astarthæ* in Syria coluit (k) (Jupiter autem non fuerat *Amnon*, sed junior ipso: isq; Cretensis dictus vel , Sancto Augustino *Xanthus*) (l) Quem raptum decimò octavo *Othonielis* Anno contigisse affirmat Eusebius (m) ideſt anno mundi conditi juxta LXX 4095. juxta Hæbraicum Textum 2614. Nisi velis dicere eandem denominationem ortam fuisse ab *Europe* Siciniorum Rege II, Filio Ægialei, qui regnavit circa annum mundi 1942, (n)

§ 3tius

PRimas antem Colonias Gentium in Europa, per quam difficile eſt inveſtigare: Cum ille perpetuis migrationibus, Bellis, invasionibus mutuis occupatæ; literas neglexerint. Græci quidem præſtantiſſimi Scriptores fuerunt, & monumentorum antiquitate gloriantur. Multa tamen ſunt, quæ fidem ipsorum minuunt. Et quidem, quod omnia geſta ad faſtum ſuum transferentes, ſibi, aliena approprìarunt, aut in dialectum Græcam, nomina propria mutantes (o) veritatem ſatius obſcurarunt, quam illuſtrarunt. Plura etiam fabuloſa pro certis vendentes, demeruerunt fidem. Quæcunq; enim apud ipſos reperta ſunt, Fontes, Arbores, Rivi, Lacus, Montes; imò quæ in vicinis admiratione digna conſpexerunt, Pòematibus celebrando, ambigua prorſus effecerunt. *Græci Scriptores*

Literarum etiam uſus diu Græcis ignotus fuerat, quas ex Phœnicia, ſive ex Ægypto *Cadmus* primò in illas Oras ex

(k) *Ovid. Metamor. Lib. 8. ℣. 120. Lucianus de Dea Syria. Selden9 de Diis Synis. Syntagm 2 Cap 2.*

(l) *S. Auguſt. de Civit Dei Lib. 18 Cap. 12. Diodorus Lib 5.*

(m) *Euſebius apud Voſſium de Idol Lib. I Cap 22 5.*

(n) *Pauſanias in Corynthiacis Apollodorus in Bibl.*

(o) *Joſeph. Antiqu. Jud, Lib. I. Cap. 11.*

attulerat. (p) Quod testatur encomium Zenonis apud Suidam.

Sum Patria Phœnix. Quis livor? sum tamen ille
Cadmus, cui debet Græcia tota Libros.

Hinc probabile Literas primas Græcorum Syriacas, vel Assyrias fuisse. (q) Quod ex Scriptura quoddam adminiculum habere videtur. Cadmus enim Kaduor à Græcis dicitur, derivata voce ab Hæbraico *Cadmoni*, quasi *Cadmoneus* quod videtur derivatum à *Cedma* Filio Ismael, (r) à quo *Hevæi* procedentes *Cadmonim*, id est orientales dicti sunt, (s) qui montem *Hermon* possidebant, tota verò hæc Regio Assyriis vicina fuerat. Unde & Uxor Cadmi *Harmonia* dicta est, quod ex Monte *Hermon* est oriunda. A *Cadmo* ergo sive *Cedma*, aut Syro quopiam, literas primum accepit Græcia, quas antea non novit. Licet alii Cadmo præponant *Cercopem* Regem Athenarum, & *Danaum* Regem Argivorum, qui leges Græcis, ac Ægyptiis scripsisse dicuntur (t). Imo ante Homerum, Græci quidam nominantur Rythmorum & Legum Scriptores (u) reclamante Josepho (w) qui Rythmos & Leges, non fuisse scriptas, sed solum memoriâ retentas dicit. Si tamen aliqui fuerant ab ipsis Libri conscripti aut prorsus interierunt, aut alii diversi sub nomine ipsorum suppositi, aut antiquitate temporum, ita depravati sunt, ut Auctoritatem indubitatam minimè conciliare possint. Igitur in defectu certæ & indubitatæ Historiæ

Græcis literas tradidit Cadmus.

Libri Græcorum interierunt.

(p) *Herodotus Lib. 5. Cap: 51.*
(q) *Diodor Sic. Lib 5. Plinius Lib: 7. Cap. 55.*
(r) *Gen. 15. ℣. 15.*
(s) *Iosue II. ℣. 3. Judic. 3. ℣. 3.*
(t) *Burmanus in Josue Cap 24. circa fin.*
(u) *Bochartus Geograph Lib. I Chana. Cap. 19. & 20.*
(w) *Josephus cont. Appinionem Lib. I.*

ſtoriæ ex pluribus, ea colligere tantum licuit, de primis Incolis Europæ, quæ veritati proximiora, & probabiliora eſſe, credidi, judicium aliis relinquendo, illa emendandi, & certiora ſubſtituendi.

§. 4tus.

SI verò Europam, ſecundum Gentes, nunc terræ hanc portionem gubernantes divideremus, longum iter ſcopo attingendo proponeremus. *Italos* namq; *Hiſpanos*, *Gallos*, *Anglos*, *Germanos*, *Svecos*, *Danos*, alioſq; populos mutaſſe primævas Sedes, atq; ſuper inductas illis Colonias, diversis temporibus ſcimus, appellationemq; toties alteraſſe non ignoramus: Has verò alterationes ſcrupuloſè rimando, multa Volumina implenda eſſent. Ideo antiquiſſimam Gentium, Originem in terris, ubi nunc degimus, ſufficiet inveſtigare. Has quidem plurimas fuiſſe non nego: ex pluribus tamen unam Gentem coaluiſſe, & genericum quoddam nomen retinuiſſe diſcimus ex antiquiſſimis quibuſq; Scriptoribus. Inter has primum locum obtinent *Scythæ*, quorum ampliſſimam Gentem fuiſſe, toto Septentrione diffuſam nemo ignorat. His ſucceſſere *Sarmatæ*, aliiq; Populi, quorum Originem inquirere in præſenti conabor, ideo, quod Scythica Gens, primò occurrat ex Aſia in Europam deſcendendentibus, & ſuperatò *Heleſponto*, *Propontide*, & *Boſphoro Thracico*, nulli unquam viſi populi, præter *Scythas*, *Sarmatas*, & *Slavos*, qui tam circa Pontum *Euxinum* conſederunt, quam in Aſiam Minorem, citra *Tanaim* & *Volgam*, ſucceſſu temporis proceſſerunt, imò totam Europam impleverunt. *Intentum Auctoris.*

§. 5tus

§ 5tus.

Ideo inter Scythas hos (de illis namq; qui majorem Asiam incolunt, amplius non erit disputandum, nisi forte aliquid innuere licuerit per accidens, & relative ad Scythas Europeos) Inter hos inquam Scythas & Egyptios multa quondam fuerat de antiquitate sua quæstio Ægytii namq; se primos mortalium in mundo extitisse, his probabant Generationum hominum, illud temperamentum aeris constituendum est, quod nec æstu arderet, nec frigore rigesceret. Terraq; illa, quæ sponte victum homini ministraret, Antequam enim vestimentorum & Artium, Inventores orirerentur, vel terra coleretur. prius nudi homines tam in temperato aere quam esurie è vivis tollerentur. Sola vero Ægyptus; hæc, conservandæ vitæ mortalium, privilegia habet. E contra verò (& probabilius quidem) Scythæ argumentati sunt, Naturam æquè omnibus providisse ac juxta gradum caloris, atq; frigoris, animalia, arbores, cæteraq; produxisse, & temperamentum rebus dedisse. Ideo diversa, diversis climatibus congruere videmus. Si autem mundi origo aut ab aquis terram ambientibus, aut ab igne, orbem fovente, petenda foret; utrumq; pro Scytharum prima origine militat. Ignis enim, primo in septemtrione, extingvi, aut deficere debuit, ubi frigus majori vi in illum agere potuit. Quod si verò, ex aquis terra emersit superiores septemtrionis partes, cum sublimiores sint, ante alias prius siccari debuerunt. Quod etiam, perpetuo cursu naturæ probatur, cum omnia flumina, ex Scythia in Mæotin, & mare Ægyptiacum descedant. Cum igitur & nunc Ægyptus potentioribus solis radiis ardeat. Et ob humilem situm, aquis tota obrueretur, nisi fluvius per canales in diversa evocaretur, clarum est, Scythiam, sive ab igne, sive ab aqua, prius liberatam fuisse, quàm Ægyptum, locumq; habitationi mortalium,

Argumenta Ægyptiorum pro sua antiquitate.

Scytharum prope argumenta.

um,

um, fructificationi arborum, ac graminis; hic prius, quam ibi aptatum fuisse (x) Sic argumentabantur naturales Philosophi, quibus DEI omnipotentia & revelata in Scripturis mundi creatio, ignota fuerat. *Et quidem validiora.*

Interea tamen Scytharum rationes firmiores habebantur, qui minus inter tenebras cæcutiebant. Quod enim dicant se altiori loco manere quam Ægyptios non dissentit à vera Philosophia, ac experientia cum oræ Septemtrionales nunquam mergantur Oceano. Hinc etiam Ovidius (y.)

Ipse quidem extremi, cùm sim sub cardine mundi
Qui semper liquidis altior extat aquis.

Ideo propter has, & similes rationes ab Ethnicis, Scythica gens pro antiquissima habebatur. (z) Eò, quod partes ad Boream jacentes, prius aliis excultæ fuissent. Id autem patet ex eo, quod Scytharum à Ponto in Asiam numerosæ excursiones tunc notentur, quando Græcorum nec nomen quidem audiebatur. *Vexorem* Regem Ægypti, & *Tanaum* Scythiæ Regem, circa Pontum, etiam *Ninum* præcesisse, & bella gessisse meminit Justinus (a) Et licet primus tentaret invadere Scythiam à Tanao tamen præventus Scythis in prædam cessit,

§ 6tus.

VErùm tamen, non solum de genere, sed de nomine quoq; Scytharum omnia fabulis antiquorum sunt obscurata. Quantò amplius divulgatus est rumor, ac terror Gentis (quorum

(x) *Justinus Lib. 2. Cap. 1.*
(y) *Ovidius de Ponto Lib. 11. Eleg. 10. ℣. 46.*
(z) *Vide Hugon: Grotium in Hist. Goth Wandal &c. Jornandem de rebus Geticis Curtium Lib 6 Cap. 2. Justinum Lib. 2: Cap: 1.*
(a) *Justinus Lib. 2. Cap. 3.*

rum causam dederat numerosissima eorum progenies) tanto plura de illis narrabantur. Et quo cultius quisq; ex Poetis atq; Historicis voluit originem illorum exponere, eò plura ornamenti gratiâ, adijciebat. Semel autem confictæ fabulæ per ora aliorum crescebant. Græci (nonnulla loca circa Pontum Euxinum inter Scythas inhabitantes) fingebant ex Hercule errante, & Virgine *Hemovipera* natos fuisse tres Filios *Agathirsum, Gelonum, & Scytham.* Verum à minimo nomen universale Gentem sumpsisse. Cum enim Virgo à recedente *Hercule* quæreret, quem ille destinaret Regni Successorem? protulit ille, arcum, pharetram, balteum, atq; phialam respondens. Quicunq; natorum, sic arcum tenderet, ac balteo præcingeretur (ut ipse coram fecerat) eundem cæterorum Principem designandum. Adultis jam Filiis, protulit arma Mater Semivipera, cumq; minimus natu balteô præcinctus, eidem phialam imposuisset, arcumq; ea fortitudine quemadmodum Hercules intendisset, Regnum ac primatum inter Fratres obtinuit. (b) Scythæ autem de se aliam fabulam narrabant, jactando Sc. se esse posteros *Targitau*, ex Jove, & Borysthenis Filia, nati. Qui deinde tres procreavit Filios *Lipoxain, Arpoxain, & Calaxain.* Hi omnes juxta Borysthenem Avum suum, incolebant. Cum autem è Cœlo decidisset *aratrum, securis, jugum boum, & phiala*, omnia ex auro candenti, nec ea instrumenta (ob terrorem ignis latentis) Majores natu tollere auderent. *Calaxain* ea audacter sustulit & Principatum obtinuit. Ex cujus deinde Familia Reges orti *Paralatæ* dicti, ab uno autem ex Regibus Scolotæ dicti fuerant, quos Græci *Scythas* deinde appellaverunt. Cum a *Lepoxain Auchatæ*; ex Arpoxain verò *Catiari* & *Transpites* ducant originem.

De origine Scytharum fabula Græcorum.

Scytharum opinio de sua origine.

Adeò

(b) *Herodotus Lib. 4. Cap. 8. 9. 10.*

Adeò autem se antiquos in illis Oris fuisse gloriabantur, ut à *Targitao*, úsq; ad Darii transitum, mille annos numerarent. (c) Et adeò amplam Regionem suam asserebant, ut Macedoniam attingeret; Versus autem Septemptrionem & occasum termini Gentis ignorarentur. (d) Hæ fabulæ ad nihil quidem videntur conducere, sed detracto fictionum cortice, hæc veritas enucleari potest. *Scythas* antiquissimum esse populum, ad *Borysthenem* primitius consedisse; Agriculturam exercuisse; & Viros strenuos bellatores ab ævo extitisse. Quæ Mythologia ex prædictis erui potest. *Rhodigius* Scythas vult dici, quod Virus quoddam viperinum, & cum lacte haustum, gerant in pectore, & hinc iracundi, ac bellis aptissimi evadant. (e) Vel potius quod lethali toxico sagittas inficerent, teste Ovidio (f) *Antiquitas Gentis*

In quibus est nemo, qui non Cariton & arcum
Telaque vipereo lurida felle gerat.

Aliqui, Scythas apellationem sumpsisse putant, à *Scythe* Jovis Filio, qui & sagittas dicitur invenisse. (g) Quem *Scythen* Berosus putat fuisse Noe Filium. (h) Contendunt *Grotius* & *Boxbornius*, Scythas ab arte sagittandi & Germanico vocabulo Scythas dictos fuisse. Sed remotissima est Analogia *Jornandes* propiùs videtur accedere (asserens denominationem esse Gothicam) in hoc tamen errat, quasi nomen, artem sagittandi significaret. Nam *Scytham* scimus esse derivatum à Græco *Skythes*, hoc autem è Slavonico ad Græcos transiit. Nam Slavonicum *Skyth* significat hominem *Scythæ dicti Slavonicè.*

E va-

(c) *Herodotus Lib* 4. *Cap.* 5. *seq.*
(d) *Curtius Lib.* 7. *Cap* 33.
(e) *Cælius Rhodigius Lib* 18. *Cap.* 56.
(f) *Ovidius Lib* 5 *Tristium.*
(g) *Diodorus Sicul Lib* 5 *Cap.* 15 *Plin Lib.* 7 *Cap.* 57.
(h) *Joannes Magnus Lib.* 1. *Cap.* 27. *Ex Beroso.*

vagum, unô locô non subsistentem (quales) fuerant licet non omnes, tamen pleriq; Scytharum primitivorum, donec vel amore loci, vel exemplo finitimorum, vel tædio perpetuæ vagationis, in aliquot coalescerent Respublicas, & fixo locò consisterent.) Radix autem hujus nominis, est verbum *Skytajo sia, erro, vagor*; a quo etiam procedit nomen *Skytanie, error*. Ex quibus patet *Skyta*, sive *Scytha* originativè non esse nomen Græcum, sed Slavicum, Gentemque cæteris, qui in Europa manent, populis antiquiorem.

§ 7mus.

Migratio Filiorum Noe.

CUm igitur & Jupiter antiquissimus intèr Deos apud Veteres haberetur, cujus Filium Scythen fuisse plures affirmat. Et Hercules (præcipuè ille qui in Ægypto colebatur & quem Græco Hercule multò antiquiorem dicit Herodotus) (i) ab immemorabili tempore apud Scythas, tanquam Protoparens illòrum coleretur. Mars etiam illorum incola crederetur. Mythologorum computui adhærendo, illumq; cum relationibus, sive traditionibus Scytharum combinando; pugato cortice fabularum, affirmare cogimur: homines, mox post Diluvium, usq; ad Borysthenem Fluvium processisse & Noe Filios, primam hic coloniam deduxisse. Quod certe non aliter factum suppono, nisi ordine sequenti. Cum enim a Noe destinatæ fuissent plagæ Mundi Filiis suis, *Semo* Oriens, *Chamo* Occidentalis, & Meridionalis, *Japheto* Septemtrionalis & Occidentem versus, Terra, singuli pedetentim ad destinata sibi loca pergebant. *Gomer* itaque *Maggog, Madai, Javan, Thubal, Mosoch* & *Thyras* (k) versus

(*i*) *Herodotus Lib.* 2. *Cap.* 145. & *Lib.* 7. *Cap.* 193.
(*k*) *Gen.* 10. ℣. 2.

ſus Septemtrionem procedebant, & ſupra littus Archipelagi gradièndo circa fretum, ſive *Boſphorum*, *Thracicum* primò dividi cæperunt: *Thubale* quidem & *Moſoch* cum ſua Familia in Aſia minori remanentibus, & ſupra *Pontum Euxinum* in Ortum, deinde in Septemtrionem ſe dilatantibus; Alii in adverſum littus tranſierunt. Mox *Javan* & *Madai* in Occidentem declinantes finitimas Oras, littora maris *Jonii* & Inſulas tandem, tùm ejuſdem Maris, tum Archipelagi impleverunt, & Græcis originem dederunt. Unde à *Javan* *Jonii* & Mare *Jonium* appellationem ſumpſerat. (l) (Jlli enim Jonii de quibus *Herodotus* ait, in Aſia majori; poſteriores ſunt & horum propago) *Madai* verò propè *Macedoniam* quievit, à quo *Mædi* vel *Madi* vel *Medobithyni* antiqui Græciæ populi orti fuerant. (m) Jmo ipſa Macedonia aliquando *Æmanthia* quaſi terra *Madai* dicta fuerat. Gratis igitur *Madai* Medorum Aſiæ majoris immediatus Pater à quibuſdam dicitur. Jlla enim pars orbis Filiis *Sem*, non verò Filiis *Japhet* aſſignata eſt. Neq; ibi ſolus *Madai* contra voluntatem Patris hæſiſſet, vel à *Semitis* detentus fuiſſet. Teſtatur namq; Euſebius Noe (antequam diſpergentur Filii) teſtamentum conſcripſiſſe. Jlludq; Filiis tanquam Dei voluntatem intimaſſe, & *Semo* tradidiſſe. In quo Septemtrionem *Japheto*; Orientem *Semo*, Occidentem *Chamo*; ac poſteris eorum tradebat. (n) Unde D. Moyſes hanc diſpoſitionem videtur imitari, in diſtributione terræ Filiis Noe. *Philastrii* tempore, adeò certa hæc ſententia credebatur; ut qui aliter locaret Noe Succeſſores, pro Hæretico judicaretur.

Noe Filiis diviſit Orbem terrarum.

(l) *Homerus in Hymno Appollinis. Heſibius in Parrag Ariſt. Strabo: Plutarchus. &c.*

(m) *Ariſtotel de Mirabil. Auſcult. & Hiſt. Lib. 9. Ptolomæus Cap. 9. Tab 9 Europæ. Livius Lib 26 Cap 27 Strabo Lib. 7.*

(n) *Euſepius Græc. Theſaur. Tempor. pag. 10.*

tur. (o) Præterea; *Japheto* assignatæ sunt Insulæ Gentium (p) Sive partes Orbis respectu Asiæ ultra *Marinæ* (Judæi namq; omnes ultrà Marinos insulanos dicebant.) (q) *Media* verò Asiatica non est Regio ultramarina, respectu Hebræorum. Imò profani Scriptores *Medos* à Græcis sortitos fuisse nomen affirmant, postquam Medæa cum *Jasone* Colchos navigasset, & inde procedens Filius ejus *Medus*, Regno Medorum initium dedisset. (r)

§ 8vùs.

Magog Gothorum Pater.

Magog non longe à faucibus *Danubii* Sedem fixisse, probabilius est, aliis opinionibus, quæ ipsum in Asia Majori collocant. (s) Hæ namq; rationes; quæ probant *Madai* ad Boream processisse, etiam pro *Magog* militant. *Bohartus* eum circa Caucasum locat, verùm illius rationes non videntur nostris esse firmiores. Itaq; probabilius est, illum ad *Danubium* consedisse ibique *Getarum*, sive *Gottorum* Gentem propagasse. Veteres namq; utrumq; nomen confundebant, & licet tanquam de diversis populis loqui videntur unam tamen Gentem dicta respiciebant. (t) Crassius errare videntur, qui *Gotthos* cum *Gettis* confundentes, illos Germaniæ populis annumerant ibidemq; originem sumpsisse affirmant. Verùm qui-

(o) *Philastrius de Heres. Cap. 70. Arias Montanus in apparatu de Phaleg.*

(p) *Genes.* 18. ℣. 5.

(q) *Vide Cornelium in Jerem.* 25: ℣. 22.

(r) *Strabo Lib. 2. Solinus Cap 20.*

(s) *Calmet Dissert. de Magog Item Gen.* 2. ℣. 13. & 10. ℣. 2. *Marcus Paulus Venetus Lib.* 1. *Cap* 64. & *Lib.* 2. *Cap.* 46. *seq.*

(t) *Cluverius Germ. Antiquit. Lib.* 4.

quidem eſt, inter populos Germaniæ reponi ab Hiſtoricis & Geographis *Gotthones*, *Gutthanes*, *Gutthones*, *Gietos*, *Gutos*, *Juttas*, *Juthungos*, & his ſimiles, qui omnes ad *Scanziæ*, ſive *Scandiæ* Inſulæ populum referuntur ab Authoribus. (u) Poterant quidem etiam populi Scandinaviæ ſucceſſu temporis à Germanis dici *Gutthenı* (eò, quod Gotthorum & *Getarum* Nomen magnam habet Analogiam cum Germanico *gutt*) quo termino & Gentem & Gentis bonam indolem explicare poterant. Sed id de Gotthorum, ſive Gettarum primitiva & originali Patria nullatenus intelligi poteſt. Quæcunque enim denominationes ſimiles in *Anglia*, *Germania*, *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania*, reperiuntur non à Germanis *Gettis*, ſive Gothis derivantur, ſed ab illis, qui à *Ponto Euxino* venientes, circa *Viſtulam* quæſitis ſedibus, unà cùm *Ulmigieris*, *Alanis*, *Amaxabotis*, *Venediſque* ſe locarunt, ſive ab iiſdem *Gothis*, qui à faucibus *Iſtri* in *Hungariam* aſcendentes, plurima Regna ſubjugârunt & jam in *Hiſpania*, & *Italia* noti eſſe cæperunt, tota Europa armis vaſtata, ejecti tandem ex Italia, plures Colonias deduxerunt, ac exſtructâ *Gottingâ* in moderno Ducatu *Brunſvicenſi* à *Daniæ* Rege *Teudoto*, Inſulam *Schandianam* obtinuerunt, ac pulſis inde *Schandinavis* illam poſſederunt. (w) Et tunc primum in Scandinavia viſi & auditi ſunt Gotthones. Nil igitur ex denominationibûs, & derivatis appellationibus, ſive ex quibuſdam verbis; cum Gallico, Germanico, vel Latino, idiomate concordantibus, determinati poteſt inferri. *Gothos*, vel *Getas*, hujus, aut illius populi eſſe membrum. Jlli enim totam Europam (ùt jam dictum) Armis victricibûs pervagantes, cujusli-

Gothi Germia undes

(u) *Strabo Lib. 7. Plin Lib.* 4. *Cap.* 14. *Tacitus Annal. Lib.* 1. *Cap.* 14 *De moribus German. Cap.* 43, *&c.*

(w) *Paprocki Horti Regii Lib. 6. Citans Anonymum Antiquiſſimum Chronologum Pruſſiæ.*

jušlibet nationis, aliquid de moribus, legibus, institutis, atq; vocibus sibi usurparunt; aut ubi diutius hæserunt etiam de suo, genti illi reliquerunt. (x) Intentum, fortiori posset confirmari argumento, si ampliora puri Gothici idiomatis ad nos pervenissent documenta. Nil tamen probat, quod à Slavico fuisset diversum (si solam accidentalem corruptionem per longinqua tempora, & commixtionem Gentium excipiamus) imò constat idem cum Slavico fuisse, quod illi populi qui in antiquis *Gothorum* sive *Getharum* remanserant sedibus, ut pote *Daci*, *Bulgari*, &c. non aliter hucusq; loquuntur, nisi Slavicè. Ipsa etiam antiqua Nomina Regum Gothorum, in Italia, atq; Hispania quondam imperantium, produnt Gentem illam Slavicè locutam fuisse. Nam *Swintylam* à sanctitate denominatum fuisse clarum est. *Kintila*, *Fawila* &c. slavonicè sonant. Plurimorum etiam agnomina desinebant in *Ryg* (quod Latini *Ric*. scripserunt) quæ desinentia est slavica. Nam *Ryg*, (nunc *Rog* vel *Roh*, juxta diversitatem climatum mollius, vel duriùs enuntiatum) *Dominum*, *Divitem*, *Præpotentem*, significat. Sic *Alaryg* dictus, quasi *Sanctitate præstans Dominus*, *Theodoryg*, *à Deo datus Dominus*, *Syngeryg*, *Princeps bellator potens*. Ita de aliis discurrendum *Almeryg*, *Genserig* &c. Aliorum nomina desinebant in *lik* quod, numerosum populum, vel exercitum denotat, ita dictus est *Gessalik*. Quidam desinebant in *myr*, sive *Mir*, quod *pacem*, *quietem*, *mundum*, *populum* denotat. Ita dictus fuerat *Ramir*, *Gundemir*, &c. Postquam tamen Latinis imperare cæperunt ipsi quoq; latinitati asvefacti leges ad intelligentiam populi dabant, lingvâ illi Regioni acco-

Gothos slavicè locutos fuisse probatur.

(x) *Spelmanus in Notis Arch. Rhenanus Rerum. German. Lib. 2. & 3. præcipue pag. 247.*

comodata. Quam tamen in familiaribus discursibus vitiarunt & Latinismum in Italia, & Hispania corruperunt.

Patet igitur *Gothos* antiquos non Germanos vel Svecos fuisse, ast Scythoslavos. Quod autem à Scriptoribus Sveciæ adscribantur, errorem istum, hoc unum induxisse videtur quod antiqua monumenta testentur *Gothos* sive *Getas* aquilonares fuisse populos; id autem, quoniam de Germania) & præcipuè *Sandinavia*) æqualiter verificetur, at de Scythia Europea circa Istrum, ideo vel favore Gentis, vel minori scrutinio veritatis, illas Sedes Historici, inquirentibus ostenderunt; quæ postremæ fuerunt, & notitiores; neglecta originali Gothorum Patria, cujus incunabula ob venustatem temporis vix a diligentioribus criticis cognoscuntur.

§. 9nus.

DIcendum igitur Gentem *Getarum* (qui postea *Gothi* sunt dicti) protogeniam esse, & à *Magog* secundogenito Filio *Japhet*, *Nepote* autem Noe descendere. (y) Multiplicatos autem populos circa Istrum primò consedisse (z) Et quaq; versùs dilatatos fuisse, ita ut partem modernæ *Bulgariæ*, *Valachiæ*, ac *Superioris Podoliæ* occuparent. Et tunc quidem qui propinquiores erant *Bulgaris*, *Ostrogothi*, seu Orientales, qui verò versús *Tyram* Fluvium manebant *Visigotthi* sive Occidentales dicebantur. Licet id constanter affirmare nolim, dubitans an non eo tempore primum distingui cæperint, quando *Ostrogothi* Italiam, *Visogothi* Hispaniam tenuerunt. *Grotius* tamen probat eos, hæc nomina ex Patria attulisse. (a) Et quidem Occidentales *Gothi* ex Sla-

Gotthorum Ostro & Visogotthorum Sedes.

(y) *Genes. 10. ỿ, 2.*
(z) *Strabo Lib. 7.*
(a) *Grotius in Hist. Gotthor.*

Slavonico *Vizsi-Gothi* seu *Superiores Gothi* dici poterant, quod ulterius à Patria recedendo, superiores Danubii rippas, versùs Occasum accollerent. Hi teste Plinio *Daci* à Romanis appellabantur. (b) Qui verò Orientales fuerant, *Ostrogothi* dicti: quod ad frangendos, ac repellendos impetus vicinorum Civitatem quandam (*Ægypsum* postea dictam) supra montem velut speculam, consistentem, muniverint, ex illa prospicientes periculis. Antiquis autem, *Castrum munitum* aut *Specula Ostrow*, vel *Ostrog* dicebatur nomine derivato, a verbo, *Strzegę* vel *Ostrzegam*, *Custodio*, *Vigilo*, *Caveo*, *præmoneo*, *munio*, &c. Id videtur innuere, *Vopiscus* qui circa Claudii tempora *Autsro Gothorum* meminit. In hoc tamen erravit, quod similitudine vocis *Ostrog* & *Austro* deceptus, illos a meridionali plaga appellare videatur. Cassiodorus *Ostrogothos* àb *Ostrogotha* satius *Ostrogothiæ* Rege dictos fuisse putat, sed hoc Regis nomen non est proprium, ast appellativum Ostrogothos, Gothunis, Hunnis, &c. admixtos; plerumq; leges apud *Claudianum*. Id etiam colliges ex *Sidonio Apollinari*. (c)

Istis Ostrogothus viget Patronis.
Vicinosque premens subinde Chunnos
His quod subditur, hinc superbit illis.

Nec minus obscurè alibi (d) Idem testatur socias Gentes annumerando.

Pannonius, Neurus, Chunnus, Geta, Dacus, Alanus.

Quæ Gentes supra Danubium (aut certe non adeo remotæ) habitabant. Ad *Pontum* quidem primitus habitaverat proge-

(b) *Plinius Lib.* 4. *Cap.* 12.
(c) *Sidonius Apollin. Lib.* 8. *Epist.* 9.
(d) *Sidonius Apollin. Carm.* 5. *v.* 481.

genies *Thyræ, Odrizii* populi; sed cum *Getæ* multiplicati essent, illos sedibus suis pepulerunt; & fortissimam Civitatem *Ægypsum* supra montem positam eisdem receperunt, quam *Caspius, Ægypsus* dicitur ædificasse, teste Ovidio (e)

Hanc fertur Odrisiis inopino Marte peremptis
Cæpit & in Regem sustulit arma Getes.

Hi erant veri *Ostrogotthi*, sed ab Ovidio simpliciter *Getæ* semper nominantur, quod hæc apellatio communior fuerit, & universalior illâ, quæ uni Provinciæ serviebat; Idq; non denominatione primitiva, sed plurimorum ex vulgô aut nobiliorum; qui distinctioni huic magis attendebant. Sicut nûnc peritiores, vel cúm res exigit, hunc Polonum dicunt Kijoviensem illum Cracoviensem, licet à vulgo, & ab exteris hæc distinctio minus curetur. Affinitas autem Nominis *Getæ* cum *Magog* dat justam occasionem cur eos ab hoc Parente descendere asseramus.

Sicut autem dixi de Scytharum origine omnia fabulis involuta fuisse, sic de origine Gettarum à Magog, inter has velut inter stercora gemmam quærere cogimur. Hesiodus refert (f) *Gygen Kittonem*, sive *Gotajonem* & *Briaræum* (qui ab omnibus *Ægeon* dictus fuerat.) (g) Jovi auxilium tulisse *Getharum nomina intra fabulas.*

Hic Cottusque Gygesque colunt simul & Briaræus
Custodes Jovis æterni quæ pectora fida

Terræ Filios fuisse dicit Ovidius. (h)

Terra feros partus immania monstra Gigantes.

Patre autem Neptuno procreatas fingit Homerus. (i)

F Quæ

(e) *Ovidius de Ponto Lib* 1. *Eleg*: 9 ℣. 11.
(f) *Hesiodus in Theogonia* ℣. 713.
(g) *Homerus Jlliad* 1. ℣. 403.
(h) *Ovidius Lib* 5. *Fastorum.*
(i) *Homerus Lib*: 2. *Odyss.*

Quæ Neptuno duo pignora magno
Edidit; hi parvi ſunt tempore nati,
Atque novem cubitos ambo crevêre novennes.

In *Thracia* natos, & ibidem prœliatos fuiſſe contra Jovẽ dicunt alii; ſed rudentium Aſinorum (quibus *Sileni*, Jovi in auxilium venientes uſi ſunt) voce perterriti, victi a Jove. (k) Ex his fabulis hæc colliguntur: *Primò* Getas illos *Magogis* Filios fuiſſe ipſa nominum affinitas oſtendit *Gyges*, *Ægeon*, *Gatajon* cum *Magog*: *Neptuno & Terra genitos*, quod ad Pontum Euxinum ac inter flumina *Istrum*, ac *Tyram* habitarent; vel quod illorum Protoparentes ignorarentur (Incertorum namq; Parentum Filios, terræ Filios appellari jam ſuperius dixeram.) (l) In *Thracia* dicunt Jovi rebellaſſe, quia proximi Thracibus habitabant. Cum verò truculenti fuerint juxta Ovidium. (m)

Circa Pontum habitaſſe probatur.

Nulla Gettis toto, Gens est truculentior Orbe,
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.

Diis ipſis bellum inferre videbantur; quos antea (à primis Parentibus meliùs educati) reverebantur: *Aſinorum voce territos eſſe*; plagæ eſt conditio, quam inhabitant; in Scythia namq; nulli Aſini reperiuntur; & equi Scythici vocem ac formam Aſinorum pati non poſſunt. (n) Fabula quidem videtur reſpicere *Darii* expeditionem in Scythas; qui (uti & equi ipſorum) formam ſibi nunquam viſam Aſinorum, atq; Mulorum; tum vocem nunquam áuditam primo percipientes, aliquoties fugere coacti ſunt. (o) Ipſi etiam *Getæ* ſive *Gothi* ſe *Jutas* ſive *Gutas* vocarunt, à Gothico vocabulo

(k) *Natalis Comes Mytholog. Lib. 6. Cap. 22.*
(l) *Vide hic in integro Opere P. 1. Cap. 8. §. 4.*
(m) *Ovidius de Ponto Lib. 2. Eleg: 7. ℣. 2. & 31.*
(n) *Herodotus Lib. 4. Cap. 28.*
(o) *Herodotus Lib. 4. Cap. 129.*

bulo *Joed* quod Gigantem ſignificat. (p) Plinius (ſi bene intelligatur) Germanos procul à *Gettis* removet, dicit namq; *Superiora inter Danubium, & Hercynium ſaltum, uſque ad Pannonia Hiberna Carnuti: Germanorumque ibi confinium, campos, & planas, Jazyges Sarmatæ. Montes verò, & ſaltus, pulſi ab his Daci.* (q) Magnam igitur partem terræ *Sarmatis* concedit, uſq; ad ſuperiorem Pannoniam, & confinia Germanorum à Carnutis attingi dicit. Hi autem pariter *Slavo-Sarmatæ* fuerant; nunc arctiori contenti limite, Montem *Carpathum* incolentes (ubi circa *Moraviam* protenditur) abbreviatè, pro *Carnautæ*, nunc *Hanatæ* appellantur. Si ergo toto hoc tractu, Germani nunquam manſerunt, gratis illis adſcribuntur *Gothi* & aliæ Gentes Scythicæ ut potè *Peucini*, *Bastarnæ* &c. cum hi omnes populi, non Germanis, ſed Dacis confines fuerint. *Daci* verò adeo vicini *Gothis*, ut moribus, & idiomate convenientes, ſolis ſedibus ſepararentur. (r) Ideo quod *Gothi* verſus Pontum, *Daci* verò in ſuperiori rippa Danubii habitarent. Poſtquam verò *Gothi* in Italiam & Hiſpaniam migrarunt, ipſorum reliquiæ (præcipuè *Wiſigothorum*) Dacis junctæ ſunt, & pluralitatis nomen men aſſumpſerunt. Juncti autem *Daco-Gothi*, multis bellis Romanos vexaverunt, *Oppium Sabinum* & *Cornelium Fuſcum*, cum univerſo exercitu ſuſtulerunt. Tandem à *Trajano* & *Antonino Caracula* fracti, in varias antiquæ Scythiæ Regiones diſperſi ſunt. Præcipuè tamen vicinis populis, ubi nunc *Walachia* & *Podolia* adhæſerunt, nec amplius *Daci*, ſed *Gothi* dicebantur. Diuq; hoc nomen retinuerunt, imò ampliarunt, nam florente jam Polonia adhuc *Gothi* dicebantur

Getæ originales non fuerunt Germani.

Successu temporis uniti fuerant Polonis.

(p) *Saxo Grammat: Lib:* 14. *Spelman in Gloſſ: Arch.*
(q) *Plinius Hiſt: Natur: Lib.* 4 *Cap.* 12
(r) *Strabo Geograph: Lib.* 7 *Polydorus Lib:* 15.

cebantur, imò nomen hoc, cum *Polono* videbatur esse Synonimum. Quod colligitur ex vetustissimo epitaphio. *Boleslai Chrobri* in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi posito illis temporibus accomodato. (s)

Tu possedisti velut Athleta Christi
Regnum Slavorum, Gothorum, seu Polonorum.

§. 10mus.

Horum *Gothorum* plures erant propagines. *Gelones* imprimis, qui infra *Danubium* & Pontum habitabant: ad Ortum Bulgariæ, modernorum Tartarorum Dobnicensium sortem unam occupantes. *Agathyrsis* contermini erant, eosq; consanguineos dixerunt antiqui, quod *Agathyrsis* & *Gelon* Fratres fuerint. (t) Confines etiam erant *Getthis* unde tanquam perpetui belli socii conjunguntur à Poetis. (u)

Gelonum Sedes.

Gettasque Sagittiferosque Gelonos.

Picti etiam dicebantur. (w) An arte, an ex natura? quod fusci coloris fuerint? nescio. His adjacebant *Massagettæ* (quasi potentes vel *graves Gettæ* (nam *Massy* antiquum Scythicum nomen, *gravem* aut *potentem* significabat, nunc *mocny* & *możny* enuntiatur) mediam Bulgariam occupabant. *Statius* illos magis proprio nomine, & minus à Paterno differentes, *Magetas* appellat. (x)

Massagettarum Patria.

mocny [redacted]

Quô Magetæ sua gesta cient, quô turbine contum
Sauromates, Falcemque Getes arcumque Gelonus
Tenderet

Gratis

(s) *Stanislaus Łubieński in vita Martiali Episcopi Płocensis.*
(t) *P. Mela Lib:* 1 *Cap:* 21. *Solinus Cap:* 20.
(u) *Virgilius Æneidos Lib:* 8. ℣. 725.
(w) *Virgilius Georg: Lib:* 2. ℣. 115.
(x) *Statius Achilleid: Lib:* 2. ℣. 418.

Gratis ergo Maſſagetæ ultra Mare Caſpium pelluntur (y) cum ipſum nomen Gentem fuiſſe Gothicam teſtetur. Lucanus illos Gelonis adjungit, & à Sarmatis non longe diſtare idem fatetur. (z)

Longaque Sarmatici ſolvens jejunia belli.
Maſſagetes qui fugit equo

Unde Bulgaria, Maſſagetarum nomine imminuto, *Meſſia* tandem dicta fuerat illa præcipuè, quæ confinis erat Thraciæ. (a) Licet etiam ab abundantia frugum & meſſis *Meſſiæ* nomen ſortiri poterat. (b)

Nullo tantum ſe Mæſſia cultu
Jactat, & ipſe ſuas miratur Gargara meſſes.

Amplius tamen extenſa eſt à *Ptolomæo* & *Strabone*, qui *Meſſiæ* ſive *Myſſiæ Bulgariam, Serviam* & *Boſnam* adjungunt.

Maſſagetis à latere verſus Thraciam *Biſſaltæ* cohabitabant, ubi nunc extrema ſunt Bulgariæ, ſed forte Macedoniæ quoq; partem ſibi vendicabant. (c) Nedum more Scythico vivebant, ſed velut Fratres *Gelonis Getiſque* aſſociabantur. (d) *Biſaltæ ubiti.*

Biſaltæ, quo more ſolent acerque Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, aut in deſerta Getarum.
Et lac concretum, cum ſanguine potat equino.

§ IImus.

Daci ab eodem ſtipite procedere videntur ut pote Getis ſat finitimi; manſio eorum illa fuerat, ubi nunc *Tranſylvaniam* & *Valachiam* ponimus. Sobolem Getarum illos dicit *Daci qui ſunt?*

(y) *Dionyſius* ℣ 739. (z) *Lucanus Pharſal. Lib*: 3. ℣ 283.
(a) *Plinius Lib*: 3 *Cap*: 26 (b) *Virgilius Georg*: *Lib*. 1 ℣ 102.
(c) *Plinius Lib*: 4 *Cap*. 10 11. *Athænus Lib*. 12.
(d) *Virgilius Georg*: *Lib*: 3 ℣ 461.

dicit Justinus ab *Orole* Rege pulsos, quod contra *Bastarnas* male pugnassent. (e) Quia verò montibus & sylvis claudebantur: aliquoties à Romanis tentati: diu immunes manserunt. (f) Victi tandem: deinde à *Sarmatis*, *Hunnis* &c. exagitati in *Daniam* & Partes *Novergiæ* (forte etiam Angliæ) commigrarunt. (g) Jllorum Regio aliquando extendebatur per *Bulgariam*, *Serviam*, *Resciam* & cæteras finitimas Regiones. Cum autem hæ partes *Scythiæ*; semper magis Hungariæ, quam Poloniæ adiungantur, ideò de illis sufficiat innuisse. Alias verò Gentes circa Danubium manentes non attingam, imò vitando prolixam narrationem, omittam, amplius explicare originem. *Dardanorum*, *Ugrorum*, *Abarorum*, *Pannorum*, *Istriorum*, *Vardæorum*, *Scordiscorum* &c. (nisi forte obiter in sequentibus Capitibus occurrerit de illis materia) cum facile inferri possit, hos & alios populos à Scythis Ponticis ortos fuisse.

Cur Magog in Europa & Asia ponatur.

Unius te monere necessarium duxi; ne mihi opponas idem, quod *Dietericus Gorropio* quod velut lagenâ vini Falerni ebrius nunc in hac, nunc in alia Regione *Magog* constituam, aliquando illius posteros locando in Asia, (h) nunc in Europa. Etenim utrobiq; manere poterant. In Europa tamen primam, eamque fixam sedem à Protoparente Magog fundatam, illis assigno. Constat namq; ex Herodoto, Scythas, *Cymerios* (ubi nunc *Crimea* est) invasisse; cumq; hi convstatis rebus supra Pontum procederent. Scythæ illos insequentes à dextris reliquentes *Caucasum*, iter tenuerunt, & in Asiam irruperunt. *Medos* aliasq; Gentes subjugârunt.

(e) *Justinus Hist: Lib. 32 Cap: 1: Strabo Lib 8. Dic: Lib: 51.*
(f) *Florus Lib: 4, Cap: 12, Tacitus in Agricola Cap: 41.*
(g) *Plinius Lib: 4, Cap: 12. Ptolomæus Lib: 3, Cap: 8. Dio Cassius L 68*
(h) *Plinius Lib: 22, Cap. 1, Salmas: ad Solin: pag. 38, seq.*
(i) *Dietericus Antiqu: Biblic: in Gen: 9: ℣ 27. fol: 111,*

ſunt, ac Imperium totius Aſiæ viginti octo annis tenuerunt. (i) Unde factum ut per tantum tempus ubiq; monumenta ſui nominis reliquerint; & quiq; Nobiliores ex Medis, vel fortiores, nedum Scythas ſe dici: ſed ab illorum Parente *Magog* originem trahere gloriabantur, ſicq; nomina *Gog* vel *Magog*, ſive ab his derivata, ſibi aſſumebant. Ideò *Magog* Scytharum Aſiæ Majoris, ſi non omnium, quorundam tamen, Pater mediatus dici poteſt; Scytharum verò Europeorum, immediatus.

§ 12mus

Relictis igitur infra Boſphorum Thracicum *Tubale*, ac *Moſoch*; ad Occidentem, circa Mare *Jonium Javan*, & *Madai*; Magog verò circa Iſtrum ſive *Danubium*: *Gomer* cum *Thyra* ſupra fauces *Istri* procedebant: circa *Dniestrum* verò *Fluvium Thyras* fixit tentoria, ſuumq; nomen Fluvio impreſſit, ta, ut ad hæc uſq; tempora, tam apud Græcos, quam apud Latinos Fluvius hic idem nomen retineat. Nec illud traxit (ab Italico, *tirare*, ſeu *jaculare* quod veloci curſu velut ſagitta ab arcu excuſſa decurrat) uti voluit *Guagninus*. (k) Plures enim Fluvii rapidiores *Dniestro* interfluunt Poloniam, nullus tamen ex ipſis Tyras apellatur. Deinde *tirare* verbum Italicum pòſt corruptionem linguæ à variis Gentibus primò eſt aſſumptum. Et quamvis originarium eſſet, cum tamen probari non valeat, aliquando ad Thyram Italos ſediſſe nomen fixum Flumini imponere haud poterant. Nam (ut ex infra dicendis patebit) Scythæ nunquam intra ſuos limites admiſerunt Romanos, qui ſaltim viderent Thyræ curſum. Serò nimis *Dacia*, *Mæſſia* & vicinæ Regiones à Ro-

(i) *Vide hic in integ: Oper: Par:* 3 *Cap:* 9 § 14.
(k) *Herodotus Lib:* 1. *Cap.* 103. & 105. *Item Lib:* 4, *Cap:* 12.
(l) *Gvagninus Hiſt: Polon: Lib:* 1. *Cap:* 1.

à Romanis ſunt cultæ (longè tamen ab hoc Flumine) cum jam antea Græcis notiſſimus eſſet hic Fluvius ſub nomine *Thyræ*, & ab eorum Scriptoribus ita apellaretur. Igitur non ab Italico *tirare*, ſed a *Thyra* Filio Noe ſic dictus eſt, cujus quidem originis non meminerunt Antiqui Hiſtorici cum illis S. Scripturæ; nulla ferme cura vel copia fuerit.) Et *Thyras* quidem *Thracum*, populi Scythici Author fuit, conſentientibus omnibus Expoſitoribus S. Sctipturæ; nec non *Flavio Joſephò* (m) qui addit ſeptem Fluviorum Japhet tam ampliatam fuiſſe Familiam, ut à Monte *Tauro* & *Aman*, uſq; ad *Tanaim* & in *Europa*, uſq; ad *Gazirorum*) forte *Gazarorum*) terram ſoli attingerent. Certe ulterius hanc progeniem extendere debuiſſet, ſi illi de latitudine Europæ conſtitiſſet. Plura etiam alia teſtantur, *Thyram* Filium Noe, hanc terræ portionem coluiſſe. Ipſi namq; Populi ab illo procedentes Thraces dicti ſunt, & Græcum *Thrax* ab Hebræo ſola dialecto paululum differt. Apud Ethnicos Scriptores famoſiſſimus eſt *Mars Thracius*, & Thraces Martis Filii dicebantur. (n)

Thyræ Familia ad Dnieſtrum.

> *Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis*
> *Thraces arant.*

Odryſia quoq; Regio ab Odryſio (forte *Thyræ Nepôte*) dicta Martem colebat, qui *Thoures* *Thuros* ab ipſis dicebatur Sc? *impetuoſus* à *Theræo-Odryſii* Patre, (o) qui *Thyræ* Filius fuerat agnomine non multum differens. Conſervabatur diu Nomen hoc ab Odryſiis nam & *Therops* illorum Rex fuiſſe legitur & *Therodamas* alins crudelis leonum conſervator. (p) Qui omnes indubitate, à *Thyra* denomina-

(m) *Joſeph: Antiqu: Jud: Lib:* 1. *Cap:* 4:
(n) *Virgilius Æneid: Lib:* 3 ỿ 13.
(o) *Epiph: Lib:* 1. *Voſſig: de Idol: Lib:* 1. *Cap:* 39.
(p) *Ovidius de Pont: Lib:* 11: *Eleg:* 2, ỿ 121. & 383,

nationem traxerunt. *Tyren* autem Odrysiorum (sive Martem) solutum compedibus à Vulcano, in *Thraciam* venisse etiam Homerus fatetur. (q)

Ut sunt illis durissima vincla soluta
Discedunt, subitò Thracas mox ille petivit
Ipsa Venus Cyprum.

§ 13tius.

Quæ omnia *Thyram* respiciunt Patrem *Thracum* Gentis bellicosissimæ, Mars enim, inter plures Filios; *Thereum* Odrysiæ Gentis Authorem; *Bisthonem*, *Bisthoniorum*; *Thracem*, *Chalibem* &c. genuisse traditur. (r) Quibus, Gentes a Thyra descendentes significantur. Ejusdem sententiæ est quoq; Eusebius dicens: *Tum acinacem Sarmatæ Scythici generis, pro Deo colere cæperunt, ut & Odrysium, à quo Thraces oriundi iidemque & Phrygum genus originem accepit. Ex quo etiam accidit, ut à Thera, qui in illa Turris ædificatione natus est, Thracum apellatio deducta sit.* (s) Sed quoniam *Thracia* circa Propontidem extendebatur inferre possumus, quod post multiplicationem *Gomeritarum*, Thraces, aut pulsi, aut sponte recesserint versus *Bosphorum Thracicum* supra littora Ponti Euxini procedentes. Nam *Odrysios* itemq; *Sithones*, à Gettis pulsos aliquando fuisse meminit Ovidius. (t) Aliquæ tamen Gentes in pristinis sedibus manserunt & versus Occidentem, circa Tyram fluvium, in intimiora Europæ penetrârunt. Ex illis autem creduntur esse *Agathyrsi* inter fauces *Istri* ac *Tyræ* Fluminum quondam manentes.

Agathyrsi circa Pontum.

 Hos

(q) *Homerus Lib:* 1 *Odyss.*
(r) *Natalis Comes Mytholog: Lib:* 2. *Cap:* 7.
(s) *Epiphanius Lib:* 1. *p.* 8. *Bochartus in Phaleg: Lib:* 5. *Cap.* 2.
(t) *Ovid: de Pont. Lib:* 4. *Eleg:* 7. ℣. 24. & *Eleg:* 14. ℣ 57.

Hos quidem *Brietius* locat in *Moscovia* circa *Vologdam*: sed gratis, reclamantibus aliis. Nam *Bocharius*, ex sola desinentia nominis a *Thyra* illos denominari probat. (u) *Solinus Gelonibus* vicinos esse dicit. (w) Nullus autem Gelones ex Septemtrionali parte Ponti locavit, adeoq; etiam *Agathyrsos* tam longe removere non audemus. Sarmatis vicinos constituit *Juvenalis*. (x) Herodotus clarius id affirmat ab *Istro jam, quæ ad superiora pertinent ferentia in mediterranea secluditur Scythia à primis Agathyrsis*. (y) Thracorum eos, more vivere, idem testatur; nisi quod paucissimi fuerint, inter se tamen convenientes, lautius viverent, & auro ornarentur. (z) Virgilius illos Græcis associare videtur. (a)

Cretesque, Driopesque, fremunt, Pictique Agathyrsi.

Id certe non alia ratione motus cecinit, nisi quod *Thyrangitæ* ab uno stipite Thyra procedentes, & ad Thyram Fluvium manentes vicini illis fuerint moribusq; similes *Agathyrsis*, Jisdem Thyrangitæ creduntur esse qui à Herodoto Tyritæ dicuntur. (b) Hos ille Græcos esse dicit. Sed quid inter Scythas Græci? nisi forte ob lenitatem incolarum, & divitiarum abundantiam, atq; luxum, illis cohabitasse etiam Græcos permittamus. Alios populos versus Septemtrionem ab his discedentes enumerabo Capite sequenti, ubi de primis Incolis Russiæ disseram.

Varii Populi antiquæ Scythiæ.

Cæteri verò ex progenie Magog & Thyræ, qui in oram Maritimam Thraciæ hinc migrârunt: consulto intermittuntur, cum jam præter intentionem discursus sit ampliatus. Hoc unum addam. *Theuristicos, Crausios, Thynos, Strimonios, Bardos, Dolongos, Tribalios Phrygios, Bebrios, Midgonios, Thyne-*

(u) *Bochart: in Phaleg: Lib. Cap.* 3. (w) *Solinus Cap.* 20.
(x) *Juvenalis Satyr* 15. ℣. 125. (y) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 108.
(z) *Herodotus Lib:* 4 *Cap:* 104. (a) *Virg: Æneid: Lib:* 4 *C.* 146
(b) *Herodotus Lib:* 4. *Cap.* 51.

Thyneos, Rhrodphaos, Trausos, Bizantinos, Bisthonios, Ismarios, Ocagrios, Pangæos, Mantinos, & cæteros plures Thracicos fuisse populos, qui per Serviam, Dalmatiam, Rasciam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Istriam, unà cum posteris Magog, & Thyræ dilatati sunt: quandoq; uniti, quandoq; separati, ab Authoribûs (imò & in Asia minori collocantur) Attamen, ita confundi non potuerunt, quin Successores Thyræ, & Magog, sibiq; vicissim collimitanei dicantur. Unde Claudianus (c) omnes conjungit.

Primus terrificum Mavors non segnis in hostem
Odrysios impellit equos, quibus ille Gelonos,
Sive Gettas turbare solet

Ubi *Odrysii, Thraces, Gelonibus*, & *Getis*, vicini esse dicuntur licet Magogitæ fuerint.

§ 14 tus

Ex præfata Regionum Ponticarum divisione, quas Nepotes Noe possederunt; colligitur, inter cæteros Fratres, mitissimi animi *Gomer* fuisse. Qui licet maximus natu fuerat, ea tamen usus est politie, ut junioribus viciniora loca concesserit, solus ulteriorem peregrinationem susciperet. Sive id Authoritatis fuerit, quod ille, loco Noe constitutus singulis Fratribus separatim, proprias sedes distribuerit, imò monstraverit. Ille verò cedens viciniora minoribus, ulterius perrexit & tranato *Borysthene* tandem per Isthmum transiens, ibi quievit, ubi nunc *Crimea* à Tartaris incolitur. Antea siquidem *Crimea* continenti fuerat per Isthmum juncta. Sed cum Scythæ (ut supra dictum,) (d) Cimmerios insequentes, diu in Asia majori morarentur; Uxores re-

Gomer ultimo accepit possessionem.

(c) *Claudianus in Gigantomachia* ỷ. 74.
(d) *Vide in Integro Opere Par.* 3. *Cap*: 9. § 14.

lictæ servos pro Maritis admiserunt, ex quibus geniti Filii timendo reditum Dominorum accessum impedituri fossam latam a Mæotidis lacunis duxerunt. (e)

Scio Herodotum fossam hanc assignare à Monte *Tauro* ad *Mæotidem* paludem. Nec diffiteor partem Montis Caucasi Taurum dici. (f) Verum tam arduum opus, cui defensioni serviret? Cum Cimmeriam Insulam ibidem semper diviserit naturalis fossa *Bosphori Cimmerii*. Scythæ quoq; ex altera parte Caucasi sicut Cimmerios persequebantur, ita eadem via redibant. Fossa igitur, non ab oriente, sed à Septemtrione, declinando in occasum, arte facta fuerat, quæ etiam nunc conspicitur. (ubi palustria Mæotidis vulgo *Limań* & *Tonka Woda* diffluunt) constanter durante appellatione Slavonicè *Perekop* usq; in hodiernam diem nominatur, & ab illa Tartari *Perekopenses* quasi, *ultra fossam manentes* dicuntur. Hanc igitur terræ partem, nunc Insulam; primus *Gomer* incoluit, & à se *Gomeriam* dixit, quæ postea molliori labio *Cimmeria* fuit apellata, nunc graviori accentu, parum tamen differenti voce *Crimea* nominatur. Imò antiquiùs emporium quoddam Mæotidis Paludis à vicina forte *Crimea* Ptolomæo atq; Herodoto *Cremnos*, dictum fuerat. (g)

Crimea à Gomer dicta.

Non longe hinc distat quædam Petra *Kierkiel* dicta, in qua Imago Beatissimæ Virginis mirabiliter apparuit. Lumine Cœlesti splendens. Coram qua, Draco ingens, hominibus multo tempore infestus, crepuit medius. Locus à Fidelibus, & infidelibus religiosè diu cultus. (h) Sunt, qui *Ovidium* hoc miraculum respexisse putant dum Templum Diannæ Tauricæ describeret. (i)

Tem-

(e) *Herodotus Lib:* 2. *Cap:* 3. (f) *Mela Lib.* 3. *Cap:* 7.
(g) *Herodotus Lib:* 4. *Cap:* 100.
(h) *Gwagninus Hist: Sarm: Lib:* 8 *de Tartaris fol:* 27.
(i) *Ovidius de Ponto Lib:* 3. *Eleg:* 2. ℣. 49.

Templa manent hodie, vastis innixa columnis
Perque quaterdenos itur in illa gradus.
Fama refert, illic signum Cœleste fuisse
Quoque minus dubites? stat basis orba Deâ
Araque quæ fuerat naturâ candida saxi
Decolor affuso tincta cruore rubet.

Templum Dianna in Scythia.

Respiciendo tamen apertum textum Poetæ, constat ædem descripsisse Ovidium, quæ Diannæ extructa fuerat & quidem multo tempore ante Christum natum. Ovidius enim Templum hoc jam ex parte dirutum vidit, qui in exilio Scythico *Tomis* occubuit Anno 17. Christi Domini. Miraculum ergo in Monte *Kierkiel* longè posterius est Ovidiô & ex Gvagnini relatione colligo illud paulò post accidisse, quando Machumete II. adjuvante, Tartari possederunt *Crimeam*, sive antiquam *Cimmeriam.*

Ubi nota obiter *Cimerias tenebras* ab hac Insula originem trahere. Quia namq; ex locis palustribus crassæ ascendunt nebulæ, & aerem occupando umbras faciunt; ideo Tenebræ Cimmeriæ in proverbium venerunt. (k)

Cimmeriorum migratio.

Pulsi *Cimmerii* supra Pontum procedentes Meridiem versus in Hersoneso Ponti, *Synopem* condiderunt. (l) Ideo Poetæ Martis Filium *Synopem* dixerunt, (m) quòd *Synope* Civitas, bello urgente, creverit. Reliqui autem Cimmerii in profundiorem Europam fugerunt, & per *Lithvaniam Livoniam, Prussiam* pergentes, *Hersonesum Cimbricam* in Dania, coluerunt. (n) Deinde Gormaniam peragrantes, gravissima damna, Romanis intulerunt (sed jam sub nomine *Cymbrorum*)

(k) *Strabo Lib:* 2. & 3.
(l) *Herodotus Lib:* 4. *Cap.* 12.
(m) *Natalis Comes Mytholog: Lib.* 2. *Cap.* 7.
(n) *Ptolomæus Gvagninus Hist: Pol. Lib:* 2. *Par.* I.

brorum) sublatis eorum aliquot Exercitibus, ac Ducibus. (o)

Animadvertendum autem Herodotum ex relatione aliorum scribentem, multum confundere transmigrationem Cimmeriorum. Dicit namq; Scythas ex Asia à *Masagetis* exagitatos in Cimmeriam venisse. Deinde Cimmeriorum Reges ad *Tyrem* Fluvium occubuisse, ac sepultos fuisse. (p) Ex quo satius colligitur, Scythas hos Europæos fuisse. Venisse autem à Septemtrione, & supra *Tyren* Cimmerios impugnasse. Si autem ex *Asia* venissent, non circa *Tyren*, sed circa *Caucasum*, aut circa *Tanaim* occurissent *Cimmerii*. Item sentire videtur etiam Curtius dicens: *Qui supra Bosphorum colunt, adscribuntur Asiæ, At, qui in Europa sunt à lævo Thraciæ latere, ad Borysthenem, atque inde ad Tanaim, alium amnem, rectâ plagâ pertinent. Tanais Europam & Asiam medius interfluit; nec dubitatur, quin Scythæ, qui Parthos condidere, non à Bosphoro, sed ex Regione Europæ penetraverint.* (q)

Confirmatur id ex alio loco Herodoti ubi refert *Aristeam* Proconensium venisse, ad *Isidonos*, qui ab *Arimaspis* exagitati Scythas vexabant, hi autem Cimmerios pepulerunt. (r) Dicam verò infra, *Arimaspos & Isidones* habitasse ubi nunc est Volhynia. (s) Per Isthmum ergo (ubi nunc *Perekop*) ex Europa venerunt Scythæ: Cimmerii autem, qui ante invasionem, egressi sunt, aut Reges suos ad bellum comitabantur, in Europam, per *Ukrainam & Lithvaniam* venerunt, *Cimbrosque* fundarunt. Qui autem victoribus Scythis cæ-

debant

(o) *Tacitus* Lib: 4. *Cap*: 73. *de mor: Germ: Cap*: 37. *Florus Lib*: 3. *Cap* 3. *Veleiꝰ Lib*: 2. *Cap* 12. *Plin: Lib*: 7 *Cap*: 22 & *Lib*:16. 17. 36.

(p) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*. 11. *Vide hic in Integro Opere Par*. 3. *Cap*. 11. §. 11.

(p) *Curtius Lib*: 6. *Cap*: 2. (r) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*. 13.

(s) *Vide Integr. Oper. Par*: 3. *Cap*. 12. . 11. 16. 18.

debant per *Bosphorum Cimmerium* in adversum littus fugerunt, & per Asiam minorem vagabantur.

§. 15tus.

Ascenez Filius *Gomer* primogenitus. (u) Patre cum reliquis Filiis ulterius pergente remansit ad fauces *Borysthenis* intra *Tyram* & *Hippanim* Fluvios, ubi populis *Ascanibus* & *Ascantibus* dedit originem, quos Plinius *Ascanticos nominat.* (w) Jllos in Asia locat Josephus *Aschenezeosque* appellat. (x) Ego credo fuisse ipsissimos, quos parum differente nomine Herodotus *Syginnas* vocat. Conveniunt enim omnia quæ ibi narrat de usu curruum, de abundantia apum &c. (y) Quæ licet ipsi videbantur incredibilia. Nos tamen experimur præsertim in *Podolia* & *Valachia* tam multas melificare apes, ut aliquando eas appiaria continere non possint, adeoq; intra cavos truncos, inter rudera murorum; imo inter grandes herbas, mel reponere coguntur. Nonnullæ quoq; præsentiendo rigorem hyemis intra cavernas terræ refugiunt. Cui genio se accomodantes Rustici in Podolia, capaces formant foveas intra terram, in quas alvearia transportant. Contigit aliquando tempore belli cum Turcis, pagos à Rusticis derelictos fuisse, & alvearia in his foveis neglecta reliquisse. Plurimæ apes locum exeundi non invenientes, perierunt. Quia tamen una fovea minus acuratè claûsa fuerat, per rimas hiscentes apes ad mellificandum evolabant redibantq;. Et quoniam examina dimittere non solent vetustiores apes, si advertunt locum amplum esse

Ascenez supra Bob Fluvium habitavit

(u) *Gen:* 10. ℣. 3. (w) *Plinius Lib.* 6. *Cap.* 7. & *Lib:* 11. *Cap:* 7.
(x) *Josephus Antiq: Jud: Lib.* 1. *Cap.* 11.
(y) *Herodotus Lib:* 5. *Cap.* 9. 10.

esse reponendo melli. Ideo multiplicatæ in tantum fuerant, ut redeuntes homines, totum locum illum subterraneum (*Stepniki* vocantur) melle repletum invenerint. Equi tamen nec tam invalidi, nec tam pusilli generantur, ut relatum habuit Herodotus: imò bello utilissimi, & proceri, inde etiam in Germaniam deducuntur.

Ascenitas ergo (sive quacunq; simili vocis inflexione nominentur) hic circa Pontum consedisse, certum est, quod etiam fusè probat *Bochartus* & Pontum Euxinum ab *Ascenez* dictum fuisse ostendit. Hoc enim Mare primo quidem *Pontus Axenus* vel *Ascenus* ab *Ascene*; deinde mollius enuntiando *Euxinus* dictus fuerat. (z) *Aschkenez* namq; Hebraicum ab *Axenes* Græco nec non Slavonico *Axios* (quod *dignum*, *honoratum* significat, parum differt) Id confirmat etiam Ovidius, (a)

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti
Dictus ab Antiquis Axenus ille fuit

Ptolomæus & Strabo *Axiacen* quoq; Fluvium (qui ipsissimus est noster *Hippanis*) perhibent in *Pontum Euxinum* se exonerare. (b) Ibi hodie consistit Urbs *Oczakow*, quæ à Mercatore eadem esse creditur cum *Auxiace Plinii*. Et concordare videntur ipsa nomina. Nam modernum *Oczakow* antiquitus forte *Axyakow* pronuntiabatur, à quo Græcum *Axiax* & *Axenes* fuerat derivatum. A Civitate autem Gens tota, appellata fuerat; nam *Axiacæ* populi à Plinio dicti, (c) vicinam sibi terram vendicabant. Concordantq; omnia de ipsis narrata, ac confirmant, *Ascenum* vel *Axenum* ex hac parte Ponti primum sedisse. Imò *Hippanis* (qui nobis *Boh* dici-

(z) *Plinius Hist. Natur. Lib: 6. Cap: 1.*
(a) *Ovidius Trist. Lib. 4. Eleg. 4. ℣. 54.*
(b) *Strabo Lib: 11.*
(c) *Plinius Lib: 4. Cap: 12.*

dicitur) à *Peucinis* & *Carpinis* fluens, & se Borysthenî, mox *Euxino*, immiscens: *Axiaces* à quibusdam dictus fuerat. Conspirantibus, quasi omnibus, locorum, Fluminum, & Gentium denominationibus ad ostendendam primitivam Sedem *Ascenez* Filii *Gomer*. Et licet populi *Ascenitæ* sive *Axiaces* literis aliquantulum differant, semper tamen fuerunt, velut Fratres, conjuncti sedibus, & animo; laudantur à Pomponio propter justitiam; ut pote qui suis contenti, aliena non appeterent, unde, & omnis furti expertes erant. (d) Meminit quoque *Jeremias* Regni *Ascenitarum*, (e) qnos *Medis* junctos ad Babylonem expugnandam provocat. Per *Ascenez* intelligit *Sa* (f) *Scythas*. Et rectè quidem textus Prophetæ de nostris *Ascenitis* intelligi potest. Non enim latere poterant Prophetam, qui eo fere tempore in Asia grassabantur; & Cimmerios insequendo, Mædos, aliosque populos exagitabant. Nam juxta Herodoti Chronologiam cum annis S. Scripturæ conciliatam Scythæ in Asiam venerunt, viginti tribus annis antequam prædicationem suam incæpisset Jeremias, & viginti octo annis ibidem commorati sunt. *Ascenitæ Scithæ noti n . crî ptura*

Riphat verò & *Thogorma* Fratres *Ascenez* versûs Septemtrionalem perrexerunt & forte *Moschovitarum*, *Samoiedorum*, *Petzeorum* Patres fuerunt, à Riphat quidem Montes *Riphaos* putat dici Calmet (g) illis *Tanaim* esse vicinum putavit Virgilius, (h)

Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem,
Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis
Lustrabat,

(d) *Pomponius Libr. 2. Cap. 1.*
(e) *Jerem: 5. ℣. 27.*
(f) *Sa. in dict. textum Jerem.*
(g) *Calmet in Gen: 10. ℣. 3.*
(h) *Virgilius Lib. 4. Georg: ℣. 517.*

Verum notabiles Montes circa Tanaim dari nescimus, qui non procul a Lithuaniæ finibus oritur, & girans versús Ortum, ibi in Mæotidem evolvitur. Unde rectè quidam Riphæos Montes dari negarunt. (i) De cæteris verò Coloniis à *Thyra*, *Magog*, & *Ascenez* in Oras Poloniæ deductis, dicemus fusius Capitibús sequentibus, processionem tamen singularum Gentium ut pote difficillimam, & minus necessariam, omittemus, sufficiat Protogenitores harum Gentium demonstrasse.

CAPUT IIItium
Quod in integro Opere est XI. Partis III.

De Origine Sarmatarum, & Slavorum, nec non de Fluminibus Veteris Scytho-Sarmatiæ.

§. Imus.

Scopus & intentio Authoris.

Regna, & populos quibus post Diluvium Sedes assignantur, non ita (rogo) accipias, quasi initium Regiminis, cum Epocha Diluvii conveniret; sed, quòd ante hos, qui citantur, de nullis aliis certius constet, qui in his locis habitarent. Multùm enim temporis effluere debuit, antequam in destinatas Oras venirent Incolæ, nec minus impendi credendum, donec in unum corpus Reipublicæ coalescerent; prius per Domos, Familias, & Turmas, distincti. Quia verò illius sæculi scripta nulla habentur, sive propter ignaviam Gentium, sive propter continuas mutationes Sedium, sive pro-

(i) *Vossius in Notis ad Melam. Lib:* 1 *Cap:* 19. *Delachampius in Notis ad Plin: Lib.* 5. *Cap.* 27. *Vide etiam hic Par.* 3. *Cap:* 13. . 1. & 2.

propter vetuſtatem temporis (quod ómnia voraci dente abſumit) ideo, quæ ex monumentis, lapidum ſculpturis, traditione, & orali Hiſtoria ſummo cúm labore, & diligenti ſcrutinio, collegerunt antiqui Scriptores, illa nos quoq; de Regno noſtro coram adducemus; libenter ulteriori examini, & validioribus rationibus ſenſum noſtrum ſubjiciendo. Quodſi errare contigerit! nemo ſtudium damnabit, in tam difficili re inveſtiganda. De origine namq; Scytharum ſcribere longé difficiliùs eſt, quam de Sedibus aliarum Gentium. Fatente id Plinio: *Nec in alia parte major Authorum conſtantia credo propter innumeras vagaſque Gentes.* (k)

§ 2dùs.

Ideo vero in præcedenti Capite, de Scythis ampliori ſtylo uſi ſumùs; cum enim ab ipſis plurimas Gentes, & nos ipſos oriri ſciamus, fontem negligere haud potuimus. *Scytharum* quidem generaliſſima erat apellatio, vel ideo, quod Orientalibus (quorum antiquiſſima eſt Hiſtoria) primi ſemper Scythæ occurrerent. Unde reliquos Populos, qui infra Scythas habitabant, & ab illis orti ſunt, ex rumore tantùm noſcentes, Scythas quoq; dixerunt. Imò, ſi quid rei fortiter geſtæ, in aures Aſiaticorum pervenit, omnium robur, virtute Scythica metientes, reliquos etiam ſimilis virtutis Scythas credebant: qui omniá littora maris, & Ponti obſederunt, (teſte Strabone) *Veteres Græcorum Scriptores & univerſos Septemtrionales, Scytharum, & Celto-Scytharum nomine affecerunt.* (l) Quemadmodum ex altera parte Aſiæ, quia *Indi* primò occurrebant, omnes, qui circa, & infra *Indum,*

Scytharum cur tam multæ gentes.

(k) Plinius Hiſt. Natur. Lib: 6. Cap: 17.
(l) Strabo Lib: 11. pag: 507. & 511.

Scytharum quam numerosa gens.

dum, Gangemque habitarunt, Indos primitùs apellabant. Unde, Herodotus quoq; post *Indos* ampliorem populum nullum dixit præter Scythas. Quod tali monumento probat *Ariantas* Rex Scytharum notitiam posteritati volens relinquere, quanta multitudo erat Scytharum? præcepit sub pæna capitis, ut omnes convenientes sagittam adferrent, & ut singuli, singulos aculeos sagittarum, in unum locum reponerent. Ex his collectis ahenum jussit fieri, tantæ amplitudinis; ut sexcentarum amphorarum capax esset: (amphora autem constabat duabus urnis, quarum una implebat, duo magna cornua Uri, quibùs Septemptrionales potare solebant) (m) Adeoq; ahenus à Herodoto descriptus continebat plus quam mille octingentas mensuras, quas nos *Garniec* dicimus. Crassitudo aheni erat quatuor digitorum. Hunc ahenum Rex *Ariantan* in Exampæo locavit. (n) *Exampæus* autem locus, non alius est nisi apud *Axiaces* circa modernum Oppidum *Koniecpol*. In hunc enim locum consentiunt omnia, quæ ab Herodoto narrantur. Ibi enim *Hypanis* & *Thyras* maximè contrahuntur. Ibi antiquitùs tritæ viæ occurrunt Græcis id est *Sacræ viæ*: nobis ad præsens *Czarny Szlak*, *Kuczmański szlak*, *Tatarski szlak*, *Kozacki szlak*, *Murawski szlak*, dictæ. *Czarny szlak*, dicitur à Sylva *Niedobur* (umbrosas enim & densas Sylvas Poloni *Czarny las*, *umbrosam sylvam*, dicunt:) *Kuczmański Szlak* à Silva *Kuczmań* per quam via protenditur. *Tatarski & Kozacki* quod Tartari & Cosaci per has vias descendant in Poloniam, & vicissim ad sua redeant, denominationes sortiuntur. *Murawski szlak* dicitur; quod pratum planum scindat via: quales campi pascuis abundantes *Murawa* Polonis dicuntur. Græci autem *Vias Sacras* apellabant, quod per eas, confluerent

Via Sacra & Exampæus Campus.

(m) *Plinius Lib*: 11. *Cap*: 37.
(n) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 81.

antiqui populi, ad *Famosissimum* Martis *Delubrum* in proximo positum, & ad solemnia Sacrificia, quæ offerri ibidem consveverunt. (o)

§. 3tius.

Sciendum tamen, Scythas antiquos (à quibus ortum trahimus:) à modernis *Tartaris* prorsus esse diversos, tam moribus, quam linguâ. Scythæ erant populi, qui circa Pontum Euxinum & inter *Tanaim*, *Borysthenem*, *Tyram* atq; *Istrum* habitabant; & qui supra *Propontidem* extendebantur usq; ad Mare Caspium. (p) Præcipui inter eos fuerant *Cimmerii:* illis successerunt *Nomades*. (q) Deinde *Tauri* (Plinio *Thauroscythæ* à Monte *Tauro* sic dicti (r) de quibus Ovidius (s) *Est locus in Scythia Tauros dixêre priores.*

Scythæ antiquissimi.

Hi deinde proprio Nomine *Gazari* dicebantur, quasi *Gamari* quod à *Gomer* discederent. Attamen ab extraneis *Tauri* frequentius appellabantur. Unde & Insula *Taurica* & Hersonesus pariter *Taurica* dicta fuerat. Ibi famosissima erat Ara Dianæ, cui homines immolabantur. teste Ovidio.

Nec procul à nobis, locus est ubi Taurica dira
Cæde pharetratæ, spargitur Ara Deæ.

Locus & rudera Templi manent circa *Azow:* ubi vultures, Aquilæ, & Carnivoræ Aves, nidificant, antiquitus allectæ carnibus victimarum; Tantum enim pars victimæ Deæ immo-

Scythæ Dianæ sacrificant.

(o) *Gwagninus Hist: Sarm: Lib:* 8 *Par. I. Vide etiam hoc Cap:* § 15
(p) *Plinius Lib.* 4 *Cap* 11 12 13.
(q) *Vide Integr. Oper Par:* 3. *Cap.* 12. . 16.
(r) *Herodotus Lib:* 4. *Cap:* 60. & 62. *Vide etiam hoc Cap.* § 15.
(s) *Plinius* 4. *Cap:* 12.

molabatur, reliquum Avibus relinquebatur. (t) Jlluc quoq; nostri Scythæ & Sarmatæ convenire solebant. Teste Poeta (u)

Aut quid Sauromatæ faciunt quid Jazyges acres,
Cultaque Oresteæ Taurica Terra Deæ.

Cymmerii itaq; *Gazari*, *Thauroscythæ* licet inter se aliquantulum differebant, ex uno tamen Stipite sc: à *Gomer* procedebant, & Slavonico idiomate utebantur. Nam & Dianna *Dzienoma* illis dicebatur quasi *Dzień nie ma*, quod *Luna inciperet lucere die finito*. Vel, si mavis dicere, alteratam fuisse appellationem, & pro *Dziewoja* quod, *Virginem* significat, *Dzienoma* ab imperitis fuisse substitutum, non inficior. Neq; enim infrequens talis alteratio accidit apud veteres. Etenim apud *Polabos* (qui cúm Polonis videntur convenire) colebatur *Venus*, utraq; manu in tergum rejecta, alterâ ovum cum folio viridi; alterâ pomum aureum gestans, quam, Scriptores extranei *Siwam* apellatam fuisse testantur. (w) Alii *Syebàm* nominant. (x) Quæ tamen satius *Diwa* Sc: *Virgo*, præcipuè apud *Wandalos*, *Polabos*, & *Herulos* aúdiebat. (y) Quæ vox adhuc in Dialecto Ruthenorum atq; Lithvanorum conservatur. Quorum priores Beatissimam Virginem MARIAM *Diwa Maty*, posteriores *Diewa Matyna* Sc: *Virgo Mater* apellant.

Cimmeriorum migratio in Germaniam.

Confirmatur etiam usus linguæ Slavonicæ apud *Cymmerios* sive *Gazaros* ex ipsa migratione *Cymmeriorum* Annô Mundi 3528. qui Scytharùm fines egressi 4893. 60. (exceptis

(t) *Gvagninus Chron Sarm: Lib:* 8. *Herodotus Lib:* 4. *Cap:* 103. *S Aug. de Civit: Dei Lib* 7. *Cap:* 19. 26.
(u) *Helmoldus Lib:* 1. *Cap:* 52. *Krantzius in Wandalia Lib:* 3. *Cap.* 37. (w) *Schedius Syngr:* 3. *Cap* 9.
(x) *Bangertus in Notis ad Helmoldum pag:* 127. *Massius Cap.* 2. § 6. *Eccardus de usu & præstantia studii Ethymol.* 2. *v. Siwa.*
(y) *Ovid: de Pont. Lib:* 3. *Eleg:* 2.

ceptis servis) usq; ad Rhenum (ubi nunc *Geldria*, *Frisia*, & *Vestphalia* est) consederunt, quos incolæ *Neumageri*, quasi, *novos affines* apellarunt; unde etiam Civitas *Noviomagen* dicta fuerat. Dux hujus migrationis potitur Marcominus. (z) Sed in Slavonico transposita est litera R. Nam rectius *Mrakomir* dicendum credo: hoc enim Nomine Cimmeria designatur, quasi dicas *Rex mundi nebulosi* nam *Mrak* Slavonicè *nebulam*, *Myr* verò *Mundum* vel *populum* significat. Cimmerias autem *tenebras* apellari à frequentibus nebulis in Crimea, dixeram præterito Capite.

Partem populi, qui remanserat circa Pontum, & successu temporis multiplicatus est, in Gentem magnam, *Mytrydates* Rex Ponti suo imperio adjecit, qui post Alexandrum parem sibi virtute non habuit; sed & ipse à Romanis victus, omni Regno exutus fuit. (a) Orientali deinde Imperio hæ Regiones adscriptæ; rebus variè se volventibus Genuenses magnam partem Insulæ tenuerunt. Anno tandem 1202. vel juxta alios 1188. *Tartari* Gens vaga intra *Immaum* ad *Mare Caspium* habitans, Græcis, Latinisq; Scriptoribus ignota, devicto Indorum Rege, cui serviebat, longè lateq; diffusa est. Transmisso *Wolgâ* Fluviô, & *Tanai* Mæotidis accolas pepulerunt, & *Tauricam Hersonesum* subjugarunt: *Połowcios*, atq; Russos adeo vexarunt, ut Lithvani Russorum subditi, bene hac occasione usi, jugum excutientes, partem Russiæ occuparent. (b) *Genuenses* etiam *Hersonesum* inhabitantes multis incursionibus ab iisdem Tartaris afflicti sunt. Subsistebant tamen donec *Machumetes*

Regnum Scytharum

II.

(z) *Vide H Henninges in Geneal: Cimmer: ad Tit: Regiones frequentiores fol* 596

(a) *Vide Appian de Bellis Mythridatis. Livium Lib:* 77. *seq Florum Lib.* 3 *Cap.* 5. *Tacit: Annal. Lib:* 2. 3. 4. *&c. Gellium Lib.* 17. *Cap:* 17.

(b) *Cromerus Chron. Polon Lib.* 7.

Tartari Moderni non ſunt Scythæ antiqui.

II. Turcarum Imperator Conſtantinopoli expugnata, etiam Genuenſes, ex Taurica ejeciſſet recepta *Caffa* aliiſq; Opidis. (c) Tartari autem nunc Tauricam incolentes limites ſibi ampliarunt, & Moſchis, atq; Polonis magnam partem terræ eripuerunt.

Hi tamen cum antiquis Scythis Europeis nil commune habent, ne nomen quidem. Nam Tartari dicuntur vel à Græco   *perterreo*, vel   *terribilis* vel à Flumine *Tartaro*, ſive *Tater*. (d) Sive potius à Slavonico *Tartar*, *Infernum* ſignificante, quod malitia Gentis inferno orta videatur.

Illorum differentia à Scythis.

Tartari ergo diſtinctiſſimi ab antiquis Scythis Gens eſt mixta, ex Populis Aſiaticis, & Júdæis, qui à *Salmanazar* pûlſi ſunt ex Samaria (quod plures Authores non contemnendis rationibus probant) qui circa Mare Caſpium, & Montes ejuſdem Nominis, eos conſediſſe dicunt, ac Tartaris commixtos eiſdem nonnullos ſuos ritus tradidiſſe. (e) Patet autem, Tartaros *Crimenſes* & *Perecopenſes*, in his Oris advenas eſſe, ex ipſo idiomate, quod Orientale eſt, cum in circuitu ipſorùm undequaq; lingua Slavonica in uſu ſit; etiam ultra Pontùm Euxinum, & Mæotidem. Quod bene animadvertendum, ne *Tartari* mòderni, cum antiquis Scythis; & geſta eorum confundantur. Abuſive namq;, & cum magna Hiſtoricæ veritatis confuſione. *Scytharum* nomen, pro *Tartaris*, & è contra ſupponitur. Qui error etiam anti-

(c) *Hubertus Fulieta in Hiſt: Genuenſ.*

(d) *Georg: Hornius in Orb: Imper: cum Notis Fulleri. Item in Orb. Polit: Par* 3 *Broniovius in Deſcrip Tartariæ. Dlugoſ Hiſt Pol: Tom.* 1. *Lib* 7

(e) *Poſtellus in Deſcrip Syriæ. Itinerarium ex Europa Lutetiam* 1698 *Etaſt du Turc en Aſie pag.* 124. 168. *Bafrage Hiſt. deſ. Irets. Tom* 4. *Liv.* 6 *Chap.* 3 *Lib.* 7. *C.* 1 *Philippus Moræus de verit. Relig: Chriſtianæ Cap.* 26. *Gennebrandus in Chronico &c.*

antiquis Scriptoribus communis est. Proprii namq; *Scythæ* in Europa & circa Pontum Euxinum manserunt. Tartari verò in Asia Majori habitabant. Quorum pariter Imperium fuerat amplissimum, nam Persia, & alia Regna, usq; ad Sinas, & Indos sub nomine Tartariæ veniebant. Et usq; hodie antiquum nomen *Tartariæ Magnæ*, circa Gangem; *Tartariæ Chinensi.* Regnis *Thibet*, *Maurenaher*, *Olgariæ*, *Kaimachit &c.* adhæret. Porro, quidquid intra, ultra & circa *Immaum*, habitabatur, usq; ad Indos & Chinas sub nomina Tartariæ veniebat. Imo magna pars Indiæ *Superioris* Tartaris subjecta fuerat, usq; ad Fluvium *Indum* & *Sinum Gangeticum*, quæ Incolis *Indostan*, vulgo Imperium *Magni Mogolis* dicitur. Et populi illi, Scythæ tunc primò, in viciniori Asia Europæ dicti sunt, quando Scythæ Europæi in Asiam irruperunt, & illam viginti octo annis tenuerunt. Quo tamen eorum arma non attigerunt: populi, non Scythæ, sed Tartari appellabantur, & usq; hodie apellantur. Quædam illorum pars, in *Indostan*, *Mogoles* comprehendebat, Sc. *Dominos* vel *liberos.* Ex quibus orti sunt Tartari *Crimenses*, *Dobrucenses*, *Budziacenses*, *Oczakovienses &c*, qui se invicem, non Tartaros, sed *Mogolos* compellant (Nil ergo moderni Tartari, cum antiquis Scythis Europæis commune habent, ne nomen, quidem: Multo magis Genius Gentis disconvenit, à Genio antiquorum Crimeæ Incolarum: & longe diversi sunt mores Tartarorum, à moribus antiquorum Scytharum, imo è diametro oppositi. Tartari namq; Crimenses fæx populi Asiatici, raptores alienorum, & perpetui sunt invasores vicinorum. Cum de antiquorum Scytharum moderatione longe diversa testetur Justinus. *Justitia Gentis, ingeniis culta, non Legibus. Nullum apud eos scelus, furtô gravius. Aurum,*

Tartari amplissima Gens fuit in Asia Majori.

Encomiū antiquorum Scytharum.

Argentum, non perinde, ac reliqui Mortales, appetunt -- Hæc continentia, illis morum quoque justitiam edidit, nil alienum concupiscentibus. (f)

§. 4tus.

Quia vero Polonicæ Originis Inquisitores, triplicem præcipuè Gentem ponunt unde Poloni Ortum trahere dicuntur Sc. Sarmatas, Scythas, & Slavos: videndum an rectè distingui possint? & suis limitibus separari: *Scythæ* (præcipuè circa *Istrum*) Herodoto antiquissimi sunt (g) & id declarare videntur superius citati Poetæ, qui illos *Jovis, Martis, & Herculis*, Filios ideo dicunt; quòd ob antiquitatem Gentis, illius origo certò sciri non possit. *Sarmatas* autem à Scythis & *Amazonibus* esse ortos hoc modo declarat prædictus Author. Victas Amazones Græci captivas duxerunt, illæ verò cæsis in *Ponto Euxino* Græcis, ventorum ac fluctuum impetu, ad littora *Mæotidis* appulerunt, deinde frequenti incursu Scythas vexaverunt. Hi autem cognitò fæminas esse; blanditiis allectas, à Filiis suis duci in uxores permiserunt. Jllæ tamen mulieribus ejus Regionis cohabitare nolentes (ob diversam ab eis vivendi consvetudinem) persvaserunt viris, ut sumpta portione Paternæ substantiæ, secum in aliam Regionem pergerent. Quod & præstiterunt triduano itinere versùs Septemtrionem pergentes. Deinde transito Tanai triduanum iter versùs Ortum confecerunt, ibiq; consederunt, Sarmatarum Genti dando Originem.

Sarmatarum Origo.

Quia vero *Amazones* Scytharum linguam non benè didicerunt, Sarmatæ quoq; Matrizantes, Scythicè solæcizare

re

(f) *Justinus Lib: 2. Cap: 2.* (g) *Herodotus Lib: 4. Cap: 99.*

re consveverunt. (h) Quæ si vera sunt? Sarmatarum primam Sedem in Russia Alba, ibi confinis est Moschovitis in ipso limite. *Palatinatus Smolenscensis* fuisse clarum est. Et huic opinioni etiam antiqui Geographi suffragantur. Amazonum namq; Sedem juxta *Georgos*, seu Agricolas & *Pastores Scythas* assignat Plinius. (i)

Amazones unde dictæ?

Amazones istæ à Scythis *Oepatræ* seu *Viricidæ* dictæ sunt. Sed prima fronte patet verbum esse, depravatum à Græcis. Etenim apud Scythas nulla est diphtongus. Credo igitur nomen hoc *Oepatræ* fuisse compositum ex hac dictione *Otrok pade*, qua exprimitur, ab Amazonum armis *Viros cadere*. Nam Slavis *Otrok* Virum significat. A Græcis vero *Amazones* appellantur, ab *ἀ* quod *sine* & quod *Mammam* significat; quasi *uni-- mammas* diceres, quod dextram mammam puellis adurere solerent ut expeditiores, ad tendendum arcum, efficerentur; & totum robur in dextrum brachium conflueret. (k)

Aurea subnectens exsectæ cingula mammæ.

Ubi manebant.

Inter *Tanaim* ad *Mæotidem* Paludem mansisse communis est sententia. Unde Seneca illas *Mæotidas*, & *Tanaiditas* dicit. (l)

Qualis relictis frigidi Ponti Plagis
Egit catervas Atticum pulsans solum,
Tanaitis aut Mæotis.

Quia verò magnam Europæ, partem, & Asiæ debellarunt, & usq; in Græciam arma tulerunt; ideo à nonnullis in *Thracia*, &

(h) *Herodotus Lib*; 4. *Cap*: 110. *sequ.*
(i) *Plinius Lib*: 6 *Cap*. 13.
(k) *Virgilius Æneid*: *Lib*: 1. ℣. 469. *Plato de LL. Lib*: 7. *Hipocrates de aere locis &c*: *Sect*. 3 *Curtius Lib*: 6.
(l) *Seneca in Hyppolito Actu*: 2. ℣. 399.

circa *Thermodontem* Fluvium locantur atq; *Thermodontiacæ* dicuntur. (m)

Thermodontiaca Tanaim fregere secure.

Thermodon Fluvius. Nisi velles *Thermodon* apellare, Fluvium Scythiæ *Doniec* (ubi *Dońscy Kozacy* nunc habitant) quasi *Don Calidum* & *Medicabilem* apellando, composito nomine, ex, *Thermæ*, & *Don*. Hujus namq; Fluminis aquâ uti Amazones solebant pro balneo. (n)

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodonteis turba lavatur aquis.

Et rectè quidem hic ponuntur. Justinus enim hanc illis Oram assignare videtur cum narrat *Thalestrem* sive *Minithæam* Amazonum Reginam cum trecentis suarum, ad Alexandrum post viginti quinque dies in *Hircaniam* venisse. (o) Tot enim dies equestri itineri sufficiebant a Mæotide usq; in *Hyrcaniam*. Vel certe à Thermodonte per Græcos pulsæ, hic consederunt, & secum ad *Doniec* Fluvium etiam *Thermodontis* appellationem transtulerunt.

§ 5tus.

Cùm tamen, omnia de Amazonum Regno ac prælijs, inter fabulas relegentur (licet contrarium plures sentiant, illarum Reginas, mores, bella nominatim exponendo) & inter figmenta Poetarum reponantur, (p) ne dubiis pro certis utamur. Originem Sarmatarum ab Amazonibus, aliis approbandam vel reijciendam, pleno jure relinquimus; Si quid tamen exinde veritatis possit elici, hoc tan-

(m) *Claudianus de Raptu Proserp.* ℣. 62.
(n) *Propertius Lib*: 3. *Eleg*: 13. ℣. 15.
(o) *Justinus Lib*: 12. *Cap*: 3.
(p) *Strabo Lib*: 11.

tantum intendiſſe Scriptores putamus; ut Sarmatas oſtendant, Viros ad bella natos patrizantes quaſi ac Matrizantes, tanquam *Marte & Bellona* nati, fuiſſent. Interea tamen, à Scythis Sarmatas, Gentem Origine diſtinctam fuiſſe non credo, aſt ſolum nomine, & manſione diſcretos puto. Quantum ad nominis Ethymologiam, illam à Græco nomine ſumere principium, communis eſt opinio *Sauros* namq; *lacertam* *Omma* verò, *oculum* ſignificat. Hinc Sarmatæ dicti, quaſi *homines lacertarum oculis præditi.* Phraſi quadam derivata, ad homines truces, horridos, & duro aſpectu. Per quæ bellicoſorum Virorum frons denotatur. Sicut & in Scriptura, *Gadditarum* militaris vultus deſcribitur. *Facies eorum, quaſi facies Leonis.* (q) Hinc Amazones propter dictam jam rationem *Sauromatides* ab Euſtachio Dionyſii Interprete, dicuntur, quod ex micantibus earum oculis, bellicus furor prorumperet. Bochartus aliunde derivari nomen Sarmatarum probat, à *Sarmadai*, quaſi eſſent *Mædorum reliquiæ.* (r) Nec deſunt Authores, qui Sarmatas à Mædis procedere ob ſimilitudinem veſtium, atq; armorum putent. (s) Hoc tamen minime ſufficit; nam ideo Moſchovitas à Gallis, aut Germanis, deſcendere: aliquis probare poſſet, quod modo veſte ſimili utantur, cum illis antea veſtis longior Scythica, & Sarmatica (ſicut omnibus Orientalibus, imò toti ferme Orbi) communis fuerit. Poteſt alia melior derivatio Sarmatarum haberi ex Arabico *Serak, Madaj* ideſt *populatores, prædones, Mædorum:* Dictum enim ſupra. (t) Scythas inſequendo Cimmerios, *Mædiam* aliaq;

Sarmatæ cum Scythis iidem.

Sarmatæ unde dicti.

(q) 1. *Paralip* 12. ℣ 8.
(r) *Bochartus in Phaleg: Lib:* 3. *Cap.* 14.
(s) *Mela Lib:* 3. *Cap* 3. *Plinius Lib:* 6. *C.* 7. *Trogus L.* 41 *C.* 2
(t) *Vide Integr: Oper: Par.* 3. *Cap.* 9. §. 14. *& Cap.* 10 §8.

aliasq; Gentes invasisse; & post viginti octo annos rediisse. Eo quoq; tempore in Asia contemptim forte appellati sunt Scythæ, *Saremisim*, à *Sarem* quod *hominem vilem sordidum significat* (præcipue apud Judæos sesquioris ævi.) (u) Imò componi potest, ex *Sarem Madaj* Sc. *Medi sordidi pannosi*, ad. distinctionem Mædorum Incolarum, melius vestitorum.

Alia derivatio Sarmatarũ appellationis verosimilior.

Quid si dicamus, *Sarmatas* ex Slavonico derivationem trahere, appellatosq; fuisse *Sarmatii*. Cum enim in Arabia quoq; Scythæ victores diu morarentur, probabile est libidini cum fæminis illarum Regionum vacasse, & a Juvenibus, uxores, sponsasq; in Cimmeriam deductas fuisse. Quia vero ex Patre Scytha, & Matre Arabe, nati erant Filii, sive ipsi se distinguendo, sive exprobrationem ab illis patiendo, qui ex Scytha Patre, & Matre geniti fuerant, nomen compositum receperunt, *Sarmaty* quasi *z Sary-Maty* Sc. ex *Syra*, vel *Sara*, sive *Saracena Matre geniti*. Arabes enim ab Ismael procedentes (qui Agar Matrem habuit) *Agareni* quidem dicebantur. Postea tamen majorem gloriam prætendentes ex *Sara* se genitos proclamabant, & cultius *Saracenos* se esse jactabant. Aut certe *Serum*, populi Asiæ fuerant prædictæ Mulieres illæ deductæ in Cimmeriam, è quibus geniti, Sarmatæ dici poterant. *Seres* autem fuerant populi, ex quodam arborum lanificio commendati. (w)

Stamine quod molli tondunt de stipite Seres.

Quod confirmatur a Plinio, qui Scythas à Persis *Seras* appellatos fuisse dicit. (x) Et hoc videtur respexisse fabula, quæ Sarmatas ex Amazonibus bellicosis natos fuisse affirmat.

(u) *Thalmud in Ketubh fol.* 17. *Col:* 1. *Sanchedrin fol* 14. *Col.* 2.
(w) *Claudianus de Consul. Olyb. & Probini* ℣. 140.
(x) *Plinius Lib:* 6. *Cap:* 17.

mat. Scythicæ namq; Mulieres intra Castra natæ, atq; educatæ, nil Viris cedebant, sive in tractandis armis, sive in arte bellica. (y) Neq; semel ex Asia, majore in Europam adductæ creduntur esse Mulieres peregrinæ; cum frequenter illuc nostri Scythæ excurrerint. Nam posteriori quoq; tempore *Vitelius* volens *Artabanum* Parthorum Imperatorem Romanis adjungere. *Iberos* atq; *Albanos* præocupans, per portas Caspias, Scythas in *Artabanum* intromisit, qui exercitú illius fusò, Filiò sublatò, vastatis Regionibús, impulerunt, ut cum Romanis societatem iniret. *Artabanus* vero; graves Scythas sentiens, quos inimicos habuit, tutores sui elegit, & *Dacorum* copias, ad se custodiendum, suscepit. (z)

§. 6tus.

Sarmatas igitur à Scythis sola diversitate Sedium, & Nominis, distinctos esse tenendum. Cùm antiqui Scriptores nullam majorem (si fabulas & incertas narrationes omittamus) inter eos distinctionem faciant. Imò ubi unus Scythas, alius Sarmatas ponit. Aliqui enim ad Tanaim Sarmatiam ponunt. Alii ibidem Scythas collocant. Alii ultra Tanaim quoq; Sarmatas extendunt, cúm tamen communiter tota illa pars Orbis, Scythica appelletur. *Josephus* Sarmatas ad Istrum habitasse, & sub Domitiano Mæsiam invasisse meminit. (a) Alii Scytharum & Satmatarum indistinctas Sedes circa Pontum Euxinum faciunt. Uti Ovidius (b)

Sarmatæ à Scythis vix distingvuntur.

Jun-

(y) *Alexander ab Alexan: Lib: 1. Cap. 24 Hippocrates de Aere, aquis, locis &c.*

(z) *Joseph: Antiq. Jud: Lib: 18 Cap: 8.*

(a) *Joseph: Flavius de Bello Jud: Lib: 7 Cap: 25. circa fin.*

(b) *Ovidius Trist: Lib: 4 Eleg: 10. ℣. 110.*

Juncta Pharethratis, Sarmatis Ora Gettis.

Ubi cæteri Scythas, ibi passim Sarmatas locat *Plinius*: imo unum populum, alteri commiscet: Sc: in Thracia; totum tractum, inter *Borysthenem*, *Istrum*, & *Pontum* Scythis æq; ac Sarmatis assignando. Imò in *Colchide* Sarmatas locat: & úsq; ad Vistulam illos extendi dicit. (c) Quod plerumq; animadvertere poteris apud Scriptores Græcos, atq; Latinos, qui populos; *Hræciam*, *Asiam*, *Germaniam*, *Galliam*, *Angliam*, *Hispaniam*, *Italiam*, vastantes aliquando Scythas, quandoq; Sarmatas nominant. Ovidius præcipuè, qui *Tomis* ad Pontum Euxinum exul manebat, frequenter pro *Gettis* & *Scythis* Sarmatas ponit. Ita, ubi *Odrysii* habitabant, postea *Gettæ*; ipse Sarmatiam dicit. (d)

Promiscuè dicuntur Scythæ Sarmatæ.

Non sic Dijs visum, qui me terraque marique
Jactum, Sarmaticis, exposuere locis.

Et alibi Sarmatas versus Occidentem statuit, seq; cinctum *Bisthoniis* manentibus circa Bosphorum Thracicum, & *Sarmatis* ab Occidente, dolet. (e)

Hostis adest dextrâ levâque parte timendus
Vicinoque metu, terret utrumque latus,
Altera, Bisthonias pars est Cessura sagittas, Læsura
Altera, Sarmaticâ spicula missa manu.

Scytharū nomen evanuit.

Porro jam Plinii tempore, Scythicum raro audiebatur, & loco Scytharum, Sarmatæ substituebantur. Dicit namq; *Scytharum nomen usquaquoq; transit in Sarmatas & Germanos. Nec aliis prisca illa duravit appellatio, quam qui extremi gentium harum, ignoti prope cæteris mortalibus degunt.* (f) Confirmari id quoq; potest ex eo, quod tam Scythis, quam Sar-

(c) *Plinius Lib*: 4. *Cap*: 11. 12. & *Lib*: 6. *Cap*. 5.
(d) *Ovidius Trist*: *Lib*: 4. *Eleg*: 8. ℣. 15.
(e) *Ovidius de Ponto Lib*: 1. *Eleg*: 4. ℣. 57.
(f) *Plinius Lib*: 4. *Cap*: 12.

Sarmatis, eadem arma, mores, religionem, funerum ritus, convictum, habitumq; tribuant Historici, & ad Septemtrionem utrumq; populum collocent, sicq; Scythas à Sarmatis non distingvunt.

§. 7mus

Slavi etiam itidem cum Scythis & Sarmatis

Slavi etiam iidem sunt cum Sarmatis & Scythis, sed successu deinde temporis ita appellati cum crescente populo in intimiora Europæ arma transferrent, & cultioribus Gentibus innotescerent. Unde à frequenti Victoriarum fama (quæ Slavonice *Sława* dicitur) *Slavi* sive *sławni* idest *famosi* dici cæperunt. Et ideo Historici, Oratores, Pöetæ, his nominibus ad denotandam gentem nostram promiscuè utuntur, tanquam Synonimis, de quo fusius tractantem vide Cromerum. (g) Potest etiam ethymon deduci, à *Słowo* seu *Verbo*, quod (ob candorem innatum Genti) adeò sanctum sit, verbo stare; ut probrosissimum judicetur (usq; hodie) aliquem promissa immutare. (h) Hinc frequens apud Polonos phrasis, *daię ci słowo, poczciwym słowem mowię, słowny*, &c. semper in pretio esse solet. Hic verò candor & sinceritas, à Primis Protoparentibus usq; ad Polonos transiit. Nam & antiqui illi Scythæ Europæi ab Alexandro ad juramentum fidelitatis vocati responderunt. *Jurando gratiam Scythas sancire ne credideris: colendo fidem, jurant. Græcorum ista cautio est, qui pacta consignant, & Deos invocant: Nos Religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos.* (i) Quo tempore autem sic apellari cæperint Scythæ, ac Sarmatæ, non facile determinari potest.

Slavi à verbo dicti.

(g) *Martinus Cromerus de Reb: Polon: Lib. 1. Cap. 7. 8. 12.*
(h) *Paprocki Horti Regii Par: 3.*
(i) *Curtius Lib: 7. Cap. 33.*

test. Antiquam tamen appellationem testatur, quæ circumfertur Epistola ab Alexandro consignata Annis 311. ante Nativitatem Christi, quæ in Chronicis Bohemorum, græcè, ac latinè, ex Antiquis Slavorum manuscriptis reperitur tenoris sequentis.

§. 8vus.

Epistola Alexandri M. ad Slavos

Nos Alexander, Philippi Regis Macedonum Hæres, Mo-
„ narcha figuratus per Necranabum annuntiatus,
„ Summi DEI Jovis, Filius: allocutor Brachmanorum, So-
„ lis, & Lunæ conculcator, a Solis ortu ad Occasum, à
„ Septemtrione, ad Meridiem, Dominus. Jllustri Prosapiæ
„ ac linguæ Slavorum (aliqui habent *Genti Henetorum*)
„ Massagetisq; salutem.

„ Qui nobis semper in fide veraces, in armis stre-
„ nuissimi nostri Milites, & Coadjutores robustissimi fuistis.
„ Damus vobis hanc totam plagam Terræ, quæ extendi-
„ tur ab Aquilone, úsq; ad partem Italiæ Meridionalis; ut
„ nullus ausus sit isthic manere, aut se locare, nisi Vestrates, &
„ quicunque alienus inventus fuerit illic manens, sit ser-
„ vus vester, & ejus posteri, vestrorum posterorum. Da-
„ túm ex Magna Alexandria novæ fundationis nostræ;
„ fundata super magno Nili Fluvio Ægypti, arridentibus
„ nobis Magnis Diis, Jove, Plutone, Marte, & Maximâ
„ Deâ Minervâ. Testis autem hujus rei Jllustris Anstellus Tri-
„ toteca Noster, & alii undecim Principes, quos nobis, si-
„ ne prole decedentibus, reliquimus nostros Hæredes, &
„ totius Orbis Successores. Anno Regnorum nostrorum
„ undecimo. (k) Nec

(k) *Gvagninus Chron: Sarm: Lib: 1. Par: 1. Paprocki Hortl Reg: Par. 3.*

Nec mirum hanc eis gratiam præſtitiſſe. A Slavis enim frequenter impetitus Alexander; pacem conciliando, Philippum Fratrem (qui Pater Alexandri M. fuerat) illis obſidem dedit, apud quos ille linguam, & artem bellandi edidicit. (l) Ipſi pariter amicitia ejus allecti, in multis bellis Alexandrum M. Filium ejus ſtrenuè juverunt, & feliciter geſtis, inclaruerunt. (m) Verum Slavi apud Hiſtoricos aliquando *Heneti* quandoq; *Iſtrii* plerumq; *Jllirici* dicuntur. Omnes tamen hi Scythæ, Sarmatæ, Slavoneſq; fuerunt; propter diviſam Gentis multitudinem, & nondum conſtantem manſionem, nunc in *Paphlagonia*, nunc in *Jllyrico*, nunc in *Iſtria*, nunc in *Meſſia*, *Thracia*, *Scythia*, *Græciaq;*, collocati. (n) Hujus confuſionis plurima ſunt exempla; quoniam & Danùbius inter flumina *Jllyrica* numeratur. *Iſtriani* populi Myſſiæ adnumerantur, *Iſtrici* item ad Pontum Euxinum, & Axiacem Fluvium (qui nunc *Boh* dicitur, ubi *Oczakow* Civitas conſtitit) collocantur.

Unde hæc gratia?

§, 9nus.

Cum jam Poloni Nomen Sarmatarum, atq; Slavorum in Polonicum mutarunt, cum reliquis *Henetis* ſub *Zemovito* Rege feliciter armis conflixerunt Annò 892. (o) Deinde Nomen hoc prorſus interijt, Populis ſub diverſum Regimen

(l) *Juſtinus Lib*: 7 *Cap*: 5. *Plutarchus in Alexan*. *Gvagninus Chron*: *Sarm*: *Lib*: 1. *Par*. 1.

(m) *Vincentius Kadłubko Chron*. *Polon*: *Lib*: 1. *Stanislaus Sarnccius in Annal Pol*. *Saxo Gram*: *in Hiſt*: *Danica*, *Juſtinus Lib*: 2. C ..

(n) *Confer Plinium Lib*: 2. 3. 6. *Juſtinum Lib*: 7. 8. 9. [illegible]u. *ripidem*, *in Hippolito* ℣. 250. [illegible] 7 *Ap Ale*. *initio Lib*: *de bello Jllyrico*, *Magin*. *Cluverium in Geograb*. &c.

(o) *Mart*: *Cromer*. *Hiſt*: *Polon*. *Lib*: 2.

gimen translatis. Constat tamen (licet secum frequenter confligerent) omnes Slavos ejusdemq; idiomatis fuisse. Cujus maximum documentum est, lingva Slavonica constanter retenta in *Istria*, *Carniola*, *Croatia*, *Bosnia*, *Myssia*, seu *Bulgaria*, imo in *Albania*, ac frequens in *Macedonia*. Novum enim, ac peregrinum idioma, adeo tenaciter minimè retineretur. Experimur autem nunc inter medios Germanos, atq; Turcas Slavonicum idioma, populis usitatissimum esse. Et licet in *Pomerania*, *Lusatia*, *Mysna* totoq; Imperio (sublata servitute) soli Slavi duro præmantur jugo, tanquam mancipia; morum tamen, ac linguæ sunt tenacissimi. (p) Ideo contemptim *Sclavi* pro *Slavi* appellantur; ac ex hac corruptione, *Slavonia* Jllyrici Provincia, Germanis subjecta, *Sclavonia* nuncupata est. (q) Turca nullos Milites præstantiores *Janizaris* habet, qui tamen ferme omnes Slavi sunt, abnegata fide, constanter Idioma patrium servantes.

Lingva Slavonica amplissima.

§. 10mus.

Hartknoch conatur ostendere, nomen Slavorum primo auditum esse sæculo VI. & VII. (r) Sed Authoritatibus citatis hoc tantum probare videtur, quod eo tempore maxime inclaruerunt sub nomine *Slavorum*; non autem quod Genus Ipsorum minimè notum fuisset; Ab extraneis namq;

(p) *Wigebertus Gemblacensis ad An. 709. pag. 556. & ad An. 806. pag: 558. Georg: Hornius in Orb. Polit: Vide hic Integ: Op. Par. 3. Cap. 15. §. 1.*

(q) *Vossius de Vitiis Serm: Lib: 2. Cap. 17.*

(r) *Author Hist. Orb. T[illegible] Cap. [illegible] Sect. 3 §. 5. de lingva Boterus P[illegible] 3. Lib: 4 Gvagninus in Prolog: ad Hist: Polon*

(s) *[illegible]istophorus Hartknoch de Rep. Polon: Lib: 1. Cap. 7.*

namq; Hiſtoricis, nunc ſub nomine *Jllyricorum*, nunc ſub *Thracum*, *Sarmatarum*, aliquando *Scytharum* occultabantur; frequentiſſimè, autem ſub nomine Septemtrionalium Gentium millena adducerem exempla, è quibus deduci poſſent diverſa nomina, affixa fuiſſe Gentibus ab extraneis Scriptoribus, qui remotiorum parvam notitiam, vel nullam habentes, illos, magis vulgatò nomine *Scytharum*, *Sarmatarum*, *Perſarum*, *Medorum* &c. appellarunt. Vel ab ea Provincia denominarunt, quæ notior, & vicinior ſcribentibus fuerat, vel ex qua exercitus ultimo proruperat, non inquirendo; unde primò exierat. Quæ enim adducuntur Authoritates; ſub nomine Juſtiniano I. in *Thratiam*, & *Jllyricum*, Sæculo VI. & VII. ſub *Heraclio* in Germaniam, ſub *Clotario* in Galliam Slavos veniſſe. (t) Non arguunt illos antea ignotos fuiſſe, aut ignavos ſediſſe, (præcipuè cùm nullæ tunc cultiores leges illos intra limites continerent) aſt ſolum, famoſiores tunc evaſiſſe, & diſtinctiori Charactere expreſſos fuiſſe, à Hiſtoricis extraneis, cum ipſi rei militari omnes intenti, literas prorſus negligerent. Meminit in ſua Hiſtoria (Poemate nativo ſcripta) *Martinus Paſzkowſki* Boryſthenem, eò locò, ubi confluunt *Viæ Sacræ* (nobis *Szlaki*) dictum fuiſſe. *Slautam* ſive *tractum famoſum* ab immemorabili tempore; quam denominationem, vùlgus diu retinuit. (u) Ex quo inferri poteſt inde quoq; Gentem Slavonicam, ſuam appellation m ſortiri potuiſſe. *Slautam* autem appellatam fuiſſe credo, vel, quod ad Solemnia

Objectio contra antiquitatem Slavorum.

Reſpondetur eidem.

(t) *Procopius de Bello Gret*; & *Lib.* 3. *Cap*: 6. *Petrus Albinus in Chron*: *Terræ Miſchen*: *Tit.* 6. *Aimoinus de Geſtis Francorum Lib*: 4. *Cap* 9. *Adamus Bremenſis Hiſt*: *Eccl*: *Lib*: 1. *Cap*: 10.

(u) *Martinus Paſzkowſki in Chron*: *Turcico*, *Tartarico*, *Coſacito*, *Lib*: 1. *Cap*. 4.

mnia Sacra Marti facienda, illac transirent populi, ut dixi supra. (w) Vel quod adversæ rippæ accolæ famam acquisissent ex multis bellis, ad hunc fluvium confectis.

§. 11mus

Cum igitur Slavi, àntea Sarmatæ, prius autem Scythæ dicti, totum spatium Terræ inter Tanaim mare Balticum (imò ultra hoc, etiam *Daniam* possidentes aliquando) Mare Adriaticum, Bosphorum, Thracicum, & Flumen *Wiadrum* (nunc *Odra* dicitur) tenuissent. Quidquid de Gentibus hac parte terræ contentis scribitur, illis tribui debet. Ne tamen in gratiam Gentis meæ hæc dicere arguar; proponat, qui voluerit pro se argumenta, probetq; in his omnibus, vel singulis Regionibus, aliam Gentem fuisse. Sed postquam primam Originem illius non obiter tantum, sed ad ipsum fontem examinaverit, non spero aliud principium *Gotthorum, Wandalorum, Herulorum, Illyricorum, &c.* posse monstrare, nisi Scythas, qui propinquiori ævo Sarmatæ, deinde Slavi dicti sunt. Occurrent certe plurima nomina Gentium, sed hæc ipsa minime probabunt intentum (nisi perperam ipsis inhærere quispiam voluerit, neglecto ulteriori examine) illas esse originarias.

Confirmantur prædicta.

§. 12mus.

Examinata breviter quæstione de Nominibus; ut clarius pateat, Regionem hanc, quam incolimus, Scythicam fuisse, antiquissimi Historici sat commendati Herodoti (x) rela-

(w) *Vide hoc Capite §. 2.*

(x) *Vide hic Par: 3 Cap: 6. . 13 Vide etiam H. Stephanum in Præf: ad primam edit: Herodoti Joachim Camerarium in Proem: ad Hist Herod. Jacobum Gronovium Præf. ad Lect: ante Hist. Herodoti.*

relationem examinandam assumo. Ipse Oram hanc, *Scythiam antiquam* nominat, (y) (quam diversæ regebant Satrapiæ) hanc inquam, ubi nunc Magna Pars Poloniæ Provinciæ (quam Russiam appellamus) subsistit. Hoc ut clarius ostendatur. Flumina ab ipso descripta videbimus. Et deinde Gentes antiquas circa illa collocabimus. Permisso namq; semel Flumina hæc per antiquam Scythiam decurrisse non amplius negandum antiquos Scythas in eadem Regione mansisse. Non enim insigniora flumina, ita cursum mutant, ut relicto primævo alveo, in aliam Orbis plagam transferantur. Quod si justa ratione, & palpabili experientia, vel ipsemet *Herodotus*, vel *Ptolomæus*, *Plinius*, aut *Strabo* emendandus erit; nullus vitio vertet, quod clariora reddam, ex re oculis subjecta, quæ aliquatenus ab Authoribus differunt, ex relatione aliorum scribentibus. Cui fini etiam Charta hæc servire poterit, quam angusto folio delineavi, notatis principalioribus fluminibus, & nunc existentibus Civitatibus nonnullis; ut facilius locus antiquarum Gentium possit reperiri.

Ex Herodoto ostenditur Scythia antiqua.

§. 13tius.

Principalis fluvius Scythiæ ab Herodoto assignatur *Ister*, sive *Danubius*, quem ex *Celtis* (qui post *Cynetas* ultimi ab eo credebantur esse populi Europæ) oriri dicit. (z) Bi nominem appellat Ovidius. (a)

Ister seu Danubius fluvius Scythiæ.

Stat vetus Urbs ripæ vicina Binominis Istri.

Binomen autem ideo dicitur, quod a fonte procedens, usq; ad *Axum Myssiæ* Civitatem, ubi ejus sunt Cataractæ, Danubius

(y) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 99.
(z) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 49:
(a) *Ovidius de Ponto Lib*: 1. *Eleg*: 9. ℣. 605.

bius appelletur. Deinde verò usq; ad Pontum *Ister* dicatur (b) antea *Abnobium* vel *Abnobius* appellabatur, sed in monumentis antiquis semper *Danubius* ponitur, quasi *Danivius* quod ex nivibus augeatur. Herodotus huic opinioni consentit; probans, eum ideo semper plenô alveô decurrere, quod in vicinis Montibus continuo ningat, & ex nivibus fluvius augmentum percipiat. (c) Minorem esse Nilo dicit: sed alii æqualem esse asserunt. (d)

--- *Quos inter maximus omnes*
Cedere Danubius se tibi Nile negat.

Jllius Accolæ ponuntur *Getæ, Gelones, Daci, Urges, Dorduni, Vardæi, Pannones, Scordisci, Boii, Scythæ, Carnii, &c.* quorum obiter meminisse sat est, ne in longum trahatur discursus; cùm de illis apud Authores frequentior habeatur mentio. Omnes antiqui hunc quoq; fluvium, inter Sarmato-Scythicos numerant & Sarmaticum, vel Scythicum appellant. (e)

Non procul hinc ingens Scythici ruit exitus Istri.

Danubius quondam dislimitabat Sarmatas à Romanis.

Danubius Romanos à Sarmatis quondam defendebat, sicut Rhenus ab incursionibus Germanorum, dicente Seneca *Medius inter pacata & hostilia fluit Danubius, & Rhenus; alter Sarmaticos impetus cohibens, alter Germanos.* (f) Idem simile quid alibi. *O! quàm ridiculi sunt mortalium termini! ultra Istrum Dacus non exeat Danubius Sarmatica, ac Romana disterminet.* (g) Ex quo patet Sarmatas posteriori sæculô ad Danubium in-

(b) *Strabo Lib: 7. Plinius Lib: 3. Cap: 19.*
(c) *Herodotus Lib: 4. Cap: 50.*
(d) *Ovidius de Ponto Lib: 4. Eleg: 10. ℣. 625. Ausonius Epigr 3. Scaliger de Re Poët:*
(e) *Valerius Flacc: Argon: Lib: 8. ℣. 185. Lucanus Lib: 3. ℣. 200.*
(f) *Seneca 22. Natur. Lib. 4.*
(g) *Seneca QQ. Natur. Præf. Lib. 1.*

coluisse, Dacis finitimos. Plurima bella inter Sarmatas Romanosq; memorantur, ex quibus tamen Domitianus (triumphando de *Catis* & *Dacis*) vix Lauream Jovi Capitolino retulit. (h) Sed jam ad notiores Poloniæ fluvios explicandos accedendum.

§. 14tus

Post Istrum, Herodotus 2dô locô ponit *Tyren*, sive *Tyram*, (i) quem nos *Dniestr* appellamus. Unde à quibusdam latinè *Nester*, *Dnester*, vel *Dmester*, à Tartaris *Turla* dicitur, à Flacco *Turba* appellatur. (k) Male à Baudrando & Calepino cum *Napari* confunditur. Cum Herodotus *Naparim* à Tyra distinguat. Et *Naparim* quidem Istro misceri. *Tyren* autem in Pontum Euxinum defluere, ipsa experientia probat. Incipit fluere ex Montibus Carpati supra *Lecopolim* & *Sambor* in Russia Rubra, non procul à Pago *Gwoździec*. Mox intra *Sambor* & pagum *Koniuszki* suscipit fluvium *Strwiąż* tandem alium fluvium à *Komarno* decurrentem, ac vario flexu circuiens *Pokutiam* (quæ quondam Regnum Haliciense constituebat,) Podoliam à Valachia, quibusdam locis disterminat. Deinde Bessarabiam circumfluens, in Pontum Euxinum prolabitur. Ad cujus ostia quondam subítiterat Urbs ejusdem Nominis *Tyras* dicta (l) ex cujus ruderibus surrexit *Moncastro*, alias *Akerman*, vulgò *Białogrod*.

Dniestr, seu Tyras fluvius.

Plura monumenta Scythicæ Antiquitatis ad Ripas *Tyræ* commemorat Herodotus. Ibi enim in vicino Campo

(h) *Svetonius in Domitiano Lib*: 8. *Cap*. 8.
(i) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 47. *Plinius Hist*: *Natur*: *Lib*: 4. *C*. 12.
(k) *Valer*; *Flacc*: *Lib*: 6. *Cap*: 85.
(l) *Plinius Lib*: 4. *Cap*: 12.

Antiqua monumenta Scythica ad Tyram.

Exampæo Ahenum ex collatis Scytharum aculeis reponit; & vestigium Herculis petræ impressum, virili vestigio simile, bicubitali magnitudine; & Cymmeriorum Regum Sepulchra, suo adhuc tempore integra ad *Tyren* visa fuisse, affirmat; locumq; plurimis, iisq; magnis fluminibus, irriguum dicit. Murorumq; Cimmeriorum, & tractus Cimmerii, meminit. (m) Et quidem Sepulchra frequenter ibidem nunc quoq; occurrunt. Sunt verò tumuli magni, è terra facti, intra quorum cavitates, vel lapide, vel lignô roboratas, inveniuntur non pauca hominum, & equorum ossa, cum armis rubigine consumptis. Ex quibus tres sagittarum aculeos in súo Musæo conservat Vir Literarum amantissimus, & in conquirendis Antiquitatibus studiosissimus D. Joannes de Witte Generalis Major Exercituum, & Colonellus Artileriæ Regni, Præfectus Arsenalis Fortalitii *Kamieniec.*

Sagittæ antiquorum Scytharum.

Sunt autem aculei duo, ex præstantissimo, & duro ære formati; subtiles, & adeo breves, ut longitudo illorum digito minor sit: tertius aculeus ex osse factus. Omnes acuta latera habent, & úbi ab acúmine inferiùs descendit acies, in hamos desinit, ut è corpore, sine incisione, & novo vulnere extrahi haud posset. Cavitates aculeorum, quibus arundo sagittæ, immittebatur, adeò angustæ sunt, ut crassitie calamum anatis, vix æquasse videatur. Hujus generis armorum hæc spicula esse puto, quæ Græci idest *Slavicum leve jaculum* appellabant, ut notat *Rigaltius* & *Meursius* in *Gloss.* Sive ideo tam subtiles ferebantur sagittæ, ut pluribus eques instrui posset: sive, ut velocius metam attingerent, ac magis lethale vulnus infligerent, dum illis omnia pervia essent vulnusq; triangulare, ac subtile, mox clausum: toxicum (quô imbui solebant aculei) exhaustum in reliquum

quum

(m) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 11. 12. 82.

quum corpus faciliter diffunderent. Tumulus hæc Arma continens remotior erat à *Tyra* fluvio, in bonis hæreditariis Principis *Lubomirii* dissipari jussus, ut è terrà illa præpingui, sal nitri decoqueretur.

In fundo illius primò inventæ sunt trabes cariosæ, ac putridæ, quibus supra corpus defuncti tellus fulciebatur; infra quas repertæ auro inducta ornamenta, monilia equorum, & hinc inde magni cumuli prædictorum aculeorum: Et quidem ex æreis, fusæ sunt Campanæ ad Ecclesiam Græcorum, paucis relictis, antiquitatis gratia. Ex quo patet tumulum fuisse magni cujusdam Principis, cujus funeri numerosissimus exercitus Scythicus parentabat. Videntur etiam plurimi similes tumuli in Palatinatu Bracłaviensi prope oppidum *Humań* præcipuè supra fluvium *Udycz* & *Jatryn*, qui prius *Smiuchæ*, mox *Hyppani*, deinde cúm ipso *Borysthenì* miscentur. Ex quibus Annò 1756. postquam duo aperti fuissent: constitit; sepulchra antiquorum Scytharum fuisse, intus concamerata, deinde ingesta humo sublevata. Intra unius Civitatem inventa fuerat framea, sed rubigine corrosa, in altero reperta ossa equi, & plurimi sagittarum aculei, prioribus non dissimiles, inter illos tamen aliqui ex argento facti videbantur.

Sepulchra Scytharum.

Hæc igitur monumenta Regum Antiquorum Scythiæ fuisse credo: qui (teste Herodoto) cum armis, equis, servis, sepeliri consveverant. (n) Licet ipse asserat, non ad *Tyram*, sed in *Gerrhis* ubi Borysthenes navigabilis est Regum Scythiæ sepulturam extitisse: quod melius elucescet in dicendis de Hippani.

Dnestrus autem plurima flumina in Russia orta, eaq; sat magna haurit: utpote *Stryi*, *Tysmienica*, *Strypa*, *Sered*,

Dniestr unde dicitur.

(n) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 71. 72.

Lipa zgnila, *Lipa złota*, *Zbrucz*, *Smotrycz*, *Swica*, *Błozwa*, *Czew*, *Byſtrzyca*, *&c.* Unde poſt aliquot milliaria Polonica, à fonte ſuo navigabilis eſt. Quia verò ex propinquis montibus (licet non adeo altis) rapidi decurrunt fluvii, & ſaxa quandoq; ſecum volvunt, ipſe quoq; *Dnieſtr* frequenter illis repletur, Unde forte, & nomen ſuum ſortitus eſt, dictus. *Dno oſtr*, quod fundum habet petris aſperatum. Fundus enim Polonis *Dno*, *aſper* autem *Oſtry* dicitur.

§. 15tus.

Boryſthenes unde dicitur.

Alter fluvius eſt Boryſthenes pariter magnus. Oritur in Moſchoviæ limitibus inter pagum *Wołoczk* Ducatus Ruſſovienſis, & *Dniworſt* pagum Palatinatus Smoleſcenſis, ex palude quadam in Sylva umbroſa ulmis aliiſq; arboribus plena. Quia verò Ruthenicè, ſpecies quædam ulmi, inter ipſam ulmum, & quercum media, amplioribus foliis veſtita, *Bereſt* dicitur (cum *Wiąż ulmus* appelletur.) Ideo primitus ab arbore *Bereſt Bereſtyniec* ipſe fluvius dictus, mutatâ dialectô à Græcis *Boryſthenes* appellatus fuerat. Nam & alius non multum diſtans fluvius *Berezyna* dicitur, quod multæ *betulæ* (*berezy* vulgo appellantur) ripas illius ambiant. Poſſet quidem alia denominationis origo inveniri, à frequentibus præliis circa *Boryſthenem* commiſſis. Nam *borenie*, *prælium*: *borytel*, *pugil*, *Borwyſcze*, *locus prælii*, Slavonicè dicitur. Sed certior eſt prima derivatio, quam ſecunda.

Dniepr unde dicitur.

Nunc autem communiter Boryſthenes *Dniepr* appelatur, quod infra Opidum *Czerkaſy* & *Kudak* præceps labatur per rupes adinſtar Scalarum fractas: Unde & appellationi origo, ex *Dno*, quod *fundum*; & *Prog* quod *limen* denotat;

notat; quod quaſi per gradus, aut limina decurrat unda. Ideo *Dniepr*, ſeu *Dnopr*, vulgo appellatur, duo nomina in ûnum nectendo Sc: *Dno* & *prog*, ex quibus abbreviatis coaleſcit unum *Dniepr*. Hinc & Regio Coſacorum infra fluvium, *Zaporoże*, quaſi ultra *limina* appellatur, & ipſi Coſaci *Zaporozſcy* quaſi *ultra liminares* dicuntur. Per hæc autem vada ipſis ſolis vitæ contemptoribus, patent viæ. Elaborant illi quaſdam Cymbas ex cortice quercus leviſſimas, intus pice illinitas, hinc inde arundinum faſcibûs ſubnixas, quæ ab impulſu fluctuum defendunt navigantes, & in æquilibrio *Cymbam* ſervant. *Cymbæ* hæ *Czayki*, ſive *Parræ* ab ipſis vocantur. Quod inſtar *Parrarum* & anatum ſecurè fluctus contemnant. Singulæ denos capiunt homines, cum armis & commeatu. Annô 860. ſub Michaele Imperatore, Ruſſi hac Claſſe ſua Conſtantinopolim obſederunt, & à captivis Religionem Chriſtianam didicerunt. (o) Annô verò 1616. *Achmetem* Imperatorem Turcarum Coſaci vexaverunt *Thraciâ*, *Bithyniâ*, *Paphlagoniâ*, *Trapezuntô*, *Synope* &c. expilatis. (p) Laudat Herodotus *Boryſthenem* ex ubertate paſcuorum, quæ accomodatiſſima ſunt pecoribus; ex abundantia optimorum piſcium, ſemente opima, ex ſale, qui in oſtio illius ſponte concreſcit, & quod præbeat ingentia Cete ſpinis carentia. (q) Hoc quoq; notabile refert Plinius, quod Boryſthenes ob puritatem aquarum, nullum vaporem emittat, multô minus nebulam. (r)

§. 16tus

(o) *Martinus Cromerus Hiſt: Polon: Lib. 2.*

(p) *Gvagninus Chron: Sarm: Lib: 1. fol: 141. ſequ: & Par: 3. Lib: 3. fol: 35.*

(q) *Herodotus Lib: 4. Cap. 53.*

(r) *Plinius Lib: 31. Cap: 5.*

§. 16tus

Commendatur Dniepr ab Herodoto.

Omnia hæc confirmat experientia. Solum enim uberrimum est & agriculturæ patientissimum. Unde boves nascuntur ibi; alunturq; procerrimi, & quibus vix pares videre licuit, nisi quod carnis plus habeant illi, qui ad *Tyram* pascuntur, isti verò robustiori osse solidentur.

Sal quod colligitur, inde coagulari creditur. Etenim adeo multis Scythia abundat fluminibûs, ut aqua Ponti Euxini in superficie dulcis evadat. Quod primus probauit *Alexander M.* deinde *Pompejus*, dum contra *Mythridatem* bellum gereret. (s) Et ab experientia testatur Ovidius; qui exul ibidem aquam hausit. (t)

Copia tot laticum, quos auget, adulterat undas
Nec patitur vires æquor habere suas.
Quin etiam Stagno similis pigræq; paludi
Cæruleus vix est, diluiturq; color.
Innatat unda Freto dulcis, leviorq; Marinâ est,
Quæ proprium mixto de sale pondus habet.

Sal & pisces Borysthenis.

Borysthenes autem cum profundissimo Pontum subintret alveò impetu aquam graviorem salsam propellit; quæ regurgitans, cùm in fundum redire non possit semper urgente Borysthene, Solis tandem æstu in salem densatur. *Cete* etiam nunc capiuntur, piscis grandis, & spinarum expers, quem *Bielucha* vocant, idest *album piscem*, quod alba carne, dulci & molliori constet (omnes enim pisces dulcis saporis, & carnis mollioris, à Polonis, *albi* dicuntur) Tantæ molis est, ut de uno, quatuor; vel quinque grandia dolia salian-tur.

(s) *Plinius Lib*: 6. *Cap*: 17. & *Lib*: 9. *Cap*: 15.
(t) *Ovidius de Ponto Lib*: 4. *Eleg*: 10 ℣. 60.

tur. Meminit horum etiam Plinius. (u) *Dubravius* refert piſcinas omnes circa Boryſthenem, licet nullus piſcis immittatur, piſcibus tamen ſua ſponte repleri. (w) Quod accidit etiam novis lacubus in Ruſſia. Hocq; inde contingit, quod anates, & cæteræ aves aquatiles aliunde ova piſcium plumis, pedibuſq; adhærentia (eo tempore, dum ſperma glutinoſum eſt) ex piſcoſis paludibus, ad alias transferant. Quandoq; ſubterranei rivuli ſperma cum ovis, in novas piſcinas trahunt.

Plurima alia Boryſthenem fluvium commendantia legi poſſunt apud Authores: quæ hic (brevitati conſulendo) prætermittuntur. E Moſchoviæ finibus tenuis fons egreditur, mox auctus, & Ruſſiam albam permeans, circa *Smoleńſk*, *Orßam*, *Mohilow*, *Kijoviam*, *Czerkaſſy*, *Kudak*, *&c.* Ponto miſcentur. Cognitus fuerat tempore Herodoti, ſolum ad locum, qui *Gerrhæus* appellabatur, forte quod ibi piſces ſalirentur. Nam *Gerres Plinio*, & Martiali piſces ſaliti, è Mæotidi prodeuntes dicuntur. (x) *Gerrhus* namq; Aſiæ minoris fluvius, cum in Mæotim, vel in mare Caſpium influat, (y) aut circa Boſphorum Cimmerium (ubi nunc *Teruk*, ſive *Tomaruk*, cum antiquo *Tamyrace* conveniens) nil prorſus ad Boryſthenem pertinet; Niſi *Carcinitem* Urbem Scythiæ, ab Herodoto laudatam, (z) eandem eſſe velis, quæ nunc *Czyrkaſy* dicitur, & *Gerrhum* fluvium, aut *Taſmin*, aut *Roſia* apelles: quorum primus ultra, alter ſupra, *Czyrkaſiam* Boryſtheni miſcetur, ubi in latiſſimum, & piſcoſiſſimum ſinum, Boryſthenes diffluit, aliquot Inſulas ambi-

Cete in Boryſthene.

(u) *Plinius Lib*: 9. *Cap*: 15.
(w) *Jo: Dubravius Lib*: 3. *de Piſc*: *Cap*: *ult.*
(x) *Plinius Lib*: 32 *Cap*: 12. *Martialis Lib*: 12. *Epigr*: 32.
(y) *Plinius Lib*: 4. *Cap*: 12. *Mela Lib*: 2. *Cap*. 1.
(z) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 55. & 99.

ambiens. Vel ad extremum *Tasmin* fluvium *Gerrhum* dicam, & Civitatem, vel Diſtrictum *Gerrhum* apellaſſe Herodotum, ubi nunc eſt *Czebryn*. Appellationi verò cauſam dediſſe ſuppono, abundantiam milii, cujus grani copia, nullibi major, quam hic. Milium autem ab antiquis Slavis *Kechryn* dicebatur. Cujus ſementis abundantia *Czechryno* moderno nomen dedit; & *Gerrho* ſive *Gerrhino* antiquo. Nil enim facilius, quam ab extraneis appellationes, & nomina rerum alterare. *Carciniten* autem minus curo, nam de illa pariter obſcura ſunt, quæ apud Plinium leguntur, (a) quam ea, quæ dicit Herodotus.

§. 17mus.

Hyppanis ſeu Boh fluvius.

Tertius fluvius antiquis notiſſimus, & ab Herodoto commendatus, eſt *Hyppanis* vulgo *Boh*, ſeu *Deus*. Ideo forte ſic dictus, quod ob limpiditatem ſuam, & amæniſſimum curſum, ludenteſq; fluctus, à ſuperſtitioſis pro Deo habitus fuerit. Fontes enim nitidiores, vel pro Diis, vel pro Deorum Templis colebantur ab Idolatris. (b)

Ergo Sacri Fontes, & littora grata valete,
Nympharum pariter Nereidumq; Domus.

Fusè hanc ſuperſtitionem enarrat *Tacitus, Seneca, Plinius*, &c. (c) nec improbabile Scythas quoq; cum aliis deliraſſe. Hyppanis autem Græcè dicitur, ab *equum*, ſignificante, quod circa paludem ex qua hic fluvius oritur equi ſilveſtres, candidi, alerentur. Unde & palus hæc ſeu

Mater

(a) *Plinius Lib*: 4. *Cap*: 12.

(b) *Martialis Lib*: 4. *Epigr*: 57. ℣. 7. *Arnobius adv. Gent. Lib* 3. *Voſſius de Idol*: *Lib*: 3. *Kody Cap*: 82.

(c) *Tacitus Annal. Lib*: 1. *Cap*: 79. *Seneca Ep*. 41. *Plin*: *Lib* 8.

Mater equorum dicebatur. (d) Plinius *Hippanim*, & *Bugem* apud *Hylæos* confluere dicit, ſed minimè credo diverſos fuiſſe fluvios, aſt ůnum, eundemq; prope *Hylæam* Boryſtheni & Ponto immerſum. Quia verò *Hyppanis* à Græcis *Boch* (vel duriori accentû *Bog*) à Scythoſlavis apellabatur, ex binomine fluvio, duos effecit (e) Herodotus fluvium *Hyppanim* dicit limpidiſſimum, & dulciſſimæ aquæ, donec in illum influat fluvius amarus quidam, qui totam aquam Hyppanis inficit (Boryſtheni id accidere dicit Plinius (*f*) *Exampœus* ille dicitur, à loco ubi miſcetur Hyppani, quem locum circa *Konaecpol* auguror eſſe (g) ſed fons ipſe amarus alibi quærendus. Meminit horum omnium Ovidius (h)

Quid non & Scythicis Hyppanis de Montibus ortus
Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amaris

Hyppanim brevem dicit *Herodotus*, cum illum (& rectiùs quidem) 200 Miliaribus currere affirmet *Baudrandus*. Oritur in Volhynia, ſeptem miliaribus Cremeneco, ex paluſtribus prope Oppidum *Kraſilow*. Herodoto creditus eſt, brevi curſu deffluere, quod a viciniore Lacu illum oriri credidiſſet quispiam. Lacus hic dicitur nunc *Palejowe Iezioro* à quodam Coſacorum optione, qui juxta hanc paludem tugurium habuit. Quia verò latrocinando plures Pagos exuſſerat *Paley* à verbo *palil* ſeu, *combuſſerat*, eſt apellatus, idemq; nomen Paludi tributum: Hanc paludem ulterius extenſam aliquando fuiſſe uſq; ad Hyppanim & undas utriuſq; ſimul unitas fuiſſe, locus ipſe teſtatur. Nam in illa ampliſſima planicie, videtur vallis aliquot ſtadiis lata, profundis littoribûs, *Emendatur Herodotus.*

(d) *Plinius Hiſt: Nat Lib: 4 Cap: 12.*
(e) *Herodotus Lib: 4 Cap. 52.*
(f) *Plinius Lib: 31 Cap: 4*
(g) *Vide dicta hoc Capite §. 1.*
(h) *Ovidius Metam. Lib: 15. ℣. 285.*

veterem alveum designans; in quo arundineta frequentia, parvum rivulum è Palude manantem excipiunt. Vallis autem ipsa, & rivulus *Kodyma* apellatur, ultra quam in amænissimis campis innumeri cernuntur tumuli è terra facti. An ingentium bellorum, an sepulchralia veterum Scytharum monumenta sint? ignoratur. Si autem *Kodyma* est illa fossa, sive alveus manufactus, cujus meminit Plinius (i) affirmare poterimus cumulos illos in campo, esse humum ex fossa *Kodymæ* egestam. Confirmat etiam ampla planities, quam idemmet describit unde Ponti aquæ recesserunt aridam relinquentes. Sicut autem *Kodyma* testis est fossæ fluvij, vel lacus alicujus, grandis (licet nunc sicca sit) ita pariter palus illa, ex qua Hyppanis profluit terra aggesta; luto tantum, & arundinetis repletur. Quando minus habitabatur hæc Regio, equi sylvestres, & feri, frequentes fuerant, circa fontem ipsius Hyppanis. Nunc minimè reperiuntur, attamen inferius circa *Hyppanim*, & *Palejowe Iezioro*, pascuntur non raró. Verumq; est quod refert Paulus Venetus (k) Armenta singula, Equum Regem habere; qui totum illum gregem regit, ac minat, dentibus carpendo, si quis equus, aut equa, extra ordinem currit. Frequenter etiam domesticas equas suo armento morsibus iteratis adjungit. Cùm sui subditi pascuntur, ille eminentiori loco subsistit, invigilans, si forte aliquis homo, aut fera, non insidietur. Quod si inimicum animadverterit, hinnitu omnes in fugam excitat, ipseq; sequitur, tardantes morsibus urgendo. Equi isti mediocris sunt proceritatis, nunc ex albis, paululum degenerárunt; sunt enim pilô cinereâ, adinstar murium, per scapulas verò lineâ nigrâ notantur. Crura etiam nigro pilo vestiuntur. Reperiun-

Equi feri circa Hyppanim.

(i) *Plinius Lib. 4 Hist: Natur. Cap: 12.* (k) *Nicol Zloydius Vide & Paul. Veneti Lib. 1. Cap: 65. Item Lib: 2. Cap: 15.*

tuntur ibidem & alia quæpiam animalia *Suchaki* dicta, cornuta, Species quædam caprarum, velocissima cursu, dum pascuntur retrocedunt non progrediuntur: ideo, quòd labrum superius, inferiori mandibulâ longius habeant.

Fluit Hyppanis per Volhyniam & Palatinatum Braclaviensem, circa *Międzyborz, Chmielnik, Vinnicam, Braclaviam, Koniecpol. &c*: Borysthenì unitus, Pontum influit supra *Oczakow* vel potius in palustria *Mæotidis* ut notavit etiam Plinius (l) Propter alteratam aquam per fontem *Exampæum* Hyppanis unda uti gravior, fundum petit: limpidò fluviò Borysthene, desuper currente. Austris tamen flantibus utriusq; fluminis aqua miscetur, & turbida evadit (m) Hyppanis infectus turbidis fontibus Ponto approximans, circa solstitium defert secum quasdam membranulas, in forma acinorum, ex quibus pennata animalcula quadrupedia nascuntur, ultra diem non viventia. Alia septem; culex, & vermiculus, terseptem, cum perfecta sunt. & ova deponunt, quater septenos pedes habent: & hæc mutatio fit intra tres vel quatuor dies. (n) *Admiranda Hyppanis*

§. 18vus.

Fons verò Exampæus, qui sua amaritudine dulces Hyppanis aquas inficit, & qui quatuor dierum navigatione distat ab ostio Hyppanis, nullus occurrit tàm amarus, præter *Tykicz zgniły*, sive *Tykitum putrem* qui sordidissimas aquas, & littora habet; adeò: ut licet abundet piscibùs, pingvibùs atq; ac grandibùs, nullatenùs tamen propter gravem odorem comedi possunt. Non procul est parvus alius fonticulus vi- *Fontis Exampæi vestigium*

(l) Plinius Lib. 4. Cap. 12.
(m) Plinius Lib: 31. Cap. 5.
(n) Plinius Lib: 11. Cap: 36.

vacissimè prosiliens, ad pagum *kalne błota*, sed pariter fætidus, ob abundantiam nitri, ac sulphuris. Hic ejcit frusta limi spissi magna; plerumq; in globos majores, atq; minores formata, similia illis, quibus sclopeta onerari solent, (quod mireris) plerosq; globos cum auriculis, quasi recenter fusos. Hos si madentes halybe tundas, ignem dant copiosum, dum siccantur minus scintillarum elicies; cum jam fragilior evadat lapillus.

Est & alius parvus Fluvius *Taßlik* pariter fætidus, qui ex palustribus (ob cladem nostri exercitus famosis) *Zołte wody*, seu *Aquæ rufæ* oritur, & cum *Tykito* (magis corrupto per aquas fonticuli supra dicti) illabitur fluvium *Siniucha* dictum, quasi dicas, *Scropham* vel *aquam nigram, impuram, turbidam. Syniucha* verò influit Hyppanim fere trium dierum navigatione à Ponto. Si non hic est fons *Exampæus*, nullum alium posse inveniri, credo. Sunt quidem in Tartaria fontes putridi, vermibus scatentes, sed hi ultra Hyppanim fluunt, nec illi miscentur.

Delubrum Martis circa Hyppanim. Hoc in loco substitisse quondam *Martis Delubrum* idem Herodotus affirmat in ipso rostro Regionis, ubi Borysthenes, ac Hyppanis miscentur, quod *Hyppoleon* dictum fuerat. (o) *Hyppacarim* distinctum fluvium dicit Herodotus (p) sed ille prorsus non invenitur hoc loco, & suppono ab *Hyppani* non esse diversum, quod & nominis identitas,; ab *Hippos*, seu *equo*, vel ab *Hippace* sc: a caseo, derivata, innuit, & locus ipse svadet. Aut igitur Borysthenes, aut Hyppanis alio nomine *Hyppajris* dicebatur, ab *hippace* sc: Caseo, vel equino lacte concreto; quo Scythæ utriusq; fluminis accolæ, admixta radice dulci, libenter vescebantur, & ad duodecim dies, hoc cibo sumptò, famem eludebant (q) Vel certe alibi fluvius hic quærendus est: non tamen cum Tyra confundendus.

Præ-

(o) *Herodotus Lib:* 4. *Cap:* 53.
(p) *Herodotus Lib:* 4. *Cap:* 55. (q) *Vide Plinium Lib:* 25. *C.* 8. *cum Notis Delacampij. Salmas in Exer: Plin. ad Solin. Pag:* 125.

Præterea Herodotus narrat, *Hyppacarim* juxta *Corcinitem* in mare devolvi, ad dextram, *Hylæam*, & *Dromone Achillis* relinquendo. Certe *Chylæa*, cum *Kilia* antiqua, loco, & nomine convenit. Erat autem quædam Jnſula parva cum Civitate ejusdem nominis intra Oſtia *Danubij* ad Pontum ſita. Nunc alia *Kilia nova* in continente proximo conſiſtit. Nomen traxiſſe videtur ab *Achille*, & *Achilea* vicina peninſula, qvam Dromonem Achillis appellat Herodotus; (r) ſeu, *curſum Achillis*. Ipſe namq; dicit alibi; *Hylæam* vicinam eſſe *Dromoni Achillis*. *Hylæa eſt Kilia.*

Eſt autem *Dromon* peninſula Ponti, transſverſim poſita, & inſtar gladij, vel navis; longa, ſed ſtricta: non procul ab Oſtio *Boryſthenis* & *Hyppanis* (s) Herſoneſum facile dixeris, verè namq; eſt ſeu *deſerta*, ut pote: quæ nec avem alit (t) *Leuce* autem ſive *Achileja* vel *Dromon Achillis* dicta eſt, ſive quod Achilli in ea dicatum Templum fuerit, quò accurrentes nautæ oblatis donis; illicò recedebant, quòd ibi pernoctare absq; diſcrimine haud licuerit. (u) ſive, quòd eò uſq; *Achiles Iphigeniam* (ne à Dianna immolarerur) amanter fuerit proſecutus (w) Vel ab ipſis navibus frumentariis oblongis, velociter currentibus, quod illis, ſimilis fuerit, ſic appellatam eſſe credo. Has enim naves *Dromos* apellabant Græci (x) Ipſi quoq; præfecti navium *Dromones* aliquando ſunt dicti (y) *Hylæa* igitur, vel *Achileja* ſive *Kilia*, unà cum *Dromone Achillis*, *Hyppani* ſive *Hypacari* à dextris erit *Dromon Achillis.*

(r) *Herodotus Lib: 4. Cap: 76.*
(ſ) *Steph: in Geograph. Pauſanus, Ptolomæus &c:*
(t) *Plinius Lib: 10. Cap: 19. Strabo Lib: 13*
(u) *Marcellinus Lib. 22. Cap. 8*
(w) *Cæl Rhodig: Lib. 14. Cap: 4.*
(x) *Caſiod: Lib. 5. Epiſt: 17. Iſidor. Orig: Lib. 19 Cap. 1. Procop. Vandalic. Lib: 1. Vide Codic. Lib: 1. Tit: 22. Lege. 2.*
(y) *Suetonius in Veſpaſian. Cap. 8.*

erit. Unde Herodotus in descriptione *Hypacaris* & *Panticapæi* emendatione videtur indigere, qui etiam Panticapem mediam Hylæam interfluere dicit. (z) Nullus enim fons, præter ostia Danubij *Tyræ*, & *Borysthenis*, vicinus est Hylææ. Nisi forte etiam illam portionem terræ, quæ inter *Borysthenem*, & *Panticapen* posita est, ob similitudinem loci, *Hylæam* aliquando dictam fuisse permittamus.

§. 19nus.

Meminit etiam Herodotus atq; Plinius Fluvij *Panticapes* (a) imo & *Dyonisius* (b) Plinius quidem dicit *Nomadas* & *Georgos*, (nimirum Scythas Pastores, & Agricolas) à Panticape dividi: sed cunctanter. Inferius namq; dicit *Quidam Panticapen confluere infra Olbiam, cum Borysthene tradunt, diligentiores Hyppanin.* Totum non longe distat à veritate, cum tam Hyppanis, quàm Panticapes Borystheni misceatur, licet diverso loco.

Prypec fluvius Poloniæ. Hoc flumen juxta Slavonicam dialectum diversimodè ab exteris apellatur à Peucero *Przepest*, à Sansone *Przypiec*, nobis communiter *Prypeć* dicitur: sed dialecto Ruthenicâ. Originalius nomen videtur esse *Sansonis* & idem significans quod & vulgare modernum. Nam *pry* à Ruthenis, à Polonis enuntiatur *przy*, idem significans, quod *juxta*, *circa*, penes *Pecz* Ruthenicum est Polonicum *piec.* seu *fornax* vel *focus*. Ex quo colligitur, fontem *Prypetij* fuisse juxta famosam quandam fornacem. Quam ego non aliam esse judico; nisi focum quempiam, vel altare idolatricum. Quia namq; antiqui Lithvani (cui confinis erat Polesia unde hic fluvius decurrit) i-

(z) *Herodotus Lib*: 4 *Cap*: 54
(a) *Herodotus Lib*: 4 *Cap*: 18 47. 54. *Plinius Lib*: 4. *C*. 12.
(b) *Dyonisius* ỽ. 314.

ignem pro Deo colebant (quem *Znicz* apellabant. (c) Forte circa Brestiam ob insignes ibidem Sylvas, & lignorum abundantiam, specialis quidam focus sive Ara huic Deo fuerat extructa. Qualium Altarium rudera, & turrita ædificia videmus consistere adhuc circa *Chelmam* (non ita procul Brestia) Licet aliqui malint esse Fana Diannæ in lucis extructa, quod ipsa esset Dea præses venationis. (d) Idq; moti perpetuò cultu hujus Deæ apud Scythas quam Scythicam Lucanus appellat (e)

Vestigia antiquæ Idololatriæ circa Prypeć.

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Diannæ

Alij autem quarundam Sagarum putant fuisse domos, quæ pro Deabus colebantur, & ex alto dabant sua responsa, quod cohæreret cum illis, quæ Tacitus narrat de *Velleda* (f) Opiniones istæ, atq; narrationes, non carent fundamento, & æq; uni ac alteri, adhærere possumus. Floruerat quondam *Panticapæum* Metropolis Bosphoranorum. (g) Sed ad *Panticapen* prorsus non pertinet: utpote iuxta Bosphorum Cimmerium in Asia minori positum. (h) Quam Civitatem incolebat *Mythriades*, voluitq; ibidem mirthum, & laurum plantare Sacrorum causâ, irritò tamen effectu. (i) Terra abnuente nutrire peregrinas proles. In proximo habitabant Panticapenses populi, nomen sortiti a Metropoli (k) non a Fluvio.

§. 20.

Porata fluvius sic dictus à Scythis, à Græcis *Pyreton* (l) juxta *Peucerum* est *Prut* fluvius qui Pokûtiam

Va-

(c) *Dlugosz. Hist: Polon: Lib:* 11. *Gvagnin. de Idolol. Litv: Hist: Polon. Par:* 1. *fol.* 30.

(d) *Statius Lib.* 3. *Sylvar.* 1. *V.* 57. *Horat Carm: Lib.* 3. *Ode.* 22. *V.* 6 *Vossius. de Idolol. passim &c:*

(e) *Lucanus Lib.* 1. *V.* 441.

(f) *Tacitus Hist: Lib.* 4. *Cap:* 67. *Item de Mor: Germ: Cap;* 8.

(g) *Plinius Lib:* 4. *Cap.* 12. (h) *Strabo. Lib:* 7

(i) *Plinius Lib* 15. *Cap.* 32. (k) *Plinius Lib* 6. *C.* 7.

(l) *Herodoti Lib.* 4. *Cap.* 68.

Valachiamq; præterlabens Istro miscetur. Hunc Ptolomæus *Poritum*: *Soratam* Baudrandus apellat. Cromero *Prut Hierassus* dicitur. Sed *Lazius* Hierassum non *Prut*, verùm *Sered* fluvium sic apellatum fuisse contendit. Ipsa enim, parùm differens nominum analogia, *Prut*, *Porata*, *Pyreton*, *Poritus*, *&c*: svadet, omnes appellationes eundem fluvium respicere. Et quemadmodum fluxus Poratæ ipsummet *Prut* esse demonstrat. Ita Hierassus *Seredum* esse ostendit, quod inter notabiliores fluvios medius decurrat, *Sered* namq; *Medium* significat. *Prut* verò ex inde dicitur, quod inter virgulata fluat. *Prut* enim Ruthenicè, Polonicè *Pręt*, *Virgam* & *Surculum* denotat. Unde quia in plurali Scythæ illi loco Affines, Virgulta apellabant *Pruty* ex hoc *Porata* Fluvius corruptè dictus est. Quia verò Scythæ, falsos Vates supra Sarmenta comburebant (m) imò quandoq; ob defectum lignorum, ad Sacrificia *Marti* immolanda, igni nutriendo, sarmenta, & arundines cum ossibus victimarum subdebant. (n) Ideo Fluvium, qui inter illa ignis fomenta decurrebat *Pyreton* dixerunt Græci quod *Pyra* sive *rogus*, ex illis Sarmentis; & virgis, seu *Pruty*, apud Scythas componeretur.

Sered & Prut unde dictus.

§. 21mus.

Aliorum quoq; fluminum meminit Herodotus, ut potè *Araxis*, *Geri*, *Tanais*, *Tyqranti*, *Arari*, *Naparis*, *Odressi*, *Maris*, *Atlantis*, *Auratis*, *Athres*, *Arthanes*, & *Noes*. Sed cum enumerati sufficiant ad cognoscendam antiquam Scythiam, seu modernam Poloniam; hi vero aut prædictis copulentur, aut extra Regnum nostrum fluant; ideo *Angrum* in *Illyrico*, *Marim* in Dacia, *Ararum* ultra Bosphorum, *Artanem* in Melæna, *Noam* in Thracia, *Atlantem* circa Æmum Mon-

Flumina Scythica extra Poloniam.

(m) *Herodotus L. 4. C. 69.* (n) *Herod: Lib. 4 Cap. 61. & 62.*

Montem, ibidem & *Auraten*: in Bessarabia *Odresum* in Myssia *Carpim* vel *Krypam*, in Bulgaria *Cium*, cæterosq; alibi require, quorum apud Authores fit mentio. (o) Diversos a supra dictis fluvios in Pontum labentes enumerat Ovidius, (p)

Huc Licus, huc Sagaris, Peneusq;, Hyppanisq;, Cratesq; **Fluvij alij Scythiæ.**
Influit, & crebro vertice tortus Halis
Partheniusq; rapax, & volvens saxa Cinapes
Labitur, & nullo tardior amne Tyras
Et tu fœmineæ Termodon cognitæ turbæ,
Et quondam Gracis Phasi petite viris
Cumq; Borysthenio liquidissimus amne Driaspes
Et tacitè pergens lenè Melanthus iter
Quiq; duas terras Asiam Cadmiq; Sororem
Separat & cursus inter utramq; facit.
Innumeriq; alij, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius se tibi Nile negat.

Hi tamen, aut subalterni sunt, aut alibi extra Polôniam inquirendi licet non adeo distantes, quos enumerare, non est de tempore. Súfficiat cum Herodoto dicere: *flumina Scythiæ esse maxima, & numero plurima, nec multò pauciora quàm in Ægypto fossæ.* (q) De Vistúla vide supra. (r)

(o) *Vide Tacitum Annal. Lib. 2. Cap: 63. Arianum in Periplo. p. 880. Flaccum Lib. 4 ℣ 719. & Lib. 6. ℣. 10. Strabonem Lib. 7. Ptolomæum, Plinium, Virgilium, &c.*

(p) *Ovidius de Ponto Lib: 4. Eleg: 10. ℣. 47. Vide etiam Plinium Lib: 6. Cap: 17.*

(q) *Herodotus Lib: 4. Cap. 47. & 82.*

(r) *Vide hic Par: 3. Cap. 10. §. 2.*

CAPUT IVtum
Quod in integro Opere est XII. Partis III.

De Antiquis Populis, qui oras Russiæ, ac vicinæ Poloniæ, post Diluvium primi incolebant.

§. 1mus.

Agendum nunc de Populis, qui sub Scytharum Nomine, ad supra dictos fluvios, ab Herodoto, & aliis antiquis Scriptoribus, collocantur. Rememoranda verò sunt quæ dixeram superius de Coloniis *Medorum, Getarum, Gelonum, Massagetarum, Agatyrsorum, Ascanticorum. &c.* (s) Qui omnes infra Bosphorum Thracicum, & Pontum Euxinum, habitârunt. Gothis ac Gelonibus confines; Inter Ostia Danubij circa *Hylæam* & Ostia Tyræ, habitârunt *Agatyrsi* (ubi nunc *Tartari Budziacenses*) propter vicinitatem Gelonorum, Fratres invicem, ac Filij Herculis credebantur. (t) Sarmatæ etiam quandoq; illis associabantur. (u)

Agathyrsi iuxta Kiliam.

Sauromatæq; truces, aut immanes Agathyrsi

Bohartus eos à Thyra (qui Græcis est deducit. (w) Hi sunt, quos Antiqui *Pictos* dicebant. (x) Illos namq; Cæruleò colore capillos tinxisse dicit Plinius. (y) Vultum, ac

(s) *Vide hic Par: 3. Cap: 11. per tot.*
(t) *Salmasius ad Solin. Pag: 189.*
(u) *Juvenalis. Satyr 15. V. 125.*
(w) *Bohartus in Phaleg Lib. 3. Cap. 2.*
(x) *Vide hic Par. 3. Cap. 9. §. 12.*
(y) *Plinius Lib. 7. Cap: 22.*

ac alias partes Corporis signis, ac Characteribûs insculpsisse, qui aboleri non possent, testatur *Mela.* (z) Et ignobilitatis signum erat, sic notatos minimè fuisse: Non desunt tamen, qui de vestibus versicoloribus id interpretentur. *Herodotus* lautissimos Viros, & aurum portantes asserit, moribus, cum Thracibus convenientes. (a) Si *Maris* fluvius ab ipsis oriretur. (b) Ultra Danubium habitarent: Sed illæ Gentes ad *Madai*, satius, vel ad *Magog* pertinent, non ad Thyram.

Thyrangitarum variæ appellationes.

His vicini fuerunt *Tyrangitæ* juxta Ptolomæum ad *Thyram* fluvium manentes, ubi nunc *Rasskow* &c: (c) *Brietius* illos usq; *Barum* extendit eamq; Civitatem *Vibaritanarium* vocat, quibus Græci quoq; commixti fuerant, *Tyrytæ* dicti *Tyragetæ* Plinio. (d) Licet aliquando eos *Thyrsagetas* appellet (e) & in utraq; Sarmatia constituat. (f) Sed iidem sunt, & hic satius, quam circa *Mæotim* locandi, ut potè, *Gelonis*, *Basternisq;* collimitanei. (g) Quod ipsum nomen compositum, ex *Tyra* & *Gete* ostendit. *Thysanagetæ* tamen videntur esse distincti & in Moschovia habitasse; ubi *Licus*, *Odrus*. *Tanais*, & *Syrgis* fluit. (h) Nisi forte & ibi aliquam familiam Tyragetarum habitasse permittamus) Tympanis in bello usos fuisse memorat Flaccus. (i)

Non ego Sangvineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten cinctumq; vagis post terga silebo
Pellibus.

(z) *Mela Lib.* 2. *Cap:* 1.
(a) *Herodotus L.* 4. *Cap* 104. (b) *Herod: Lib.* 4. *Cap* 49.
(c) *Ptolomeus Tab.* 8. (d) *Herodotus Lib.* 4. *Cap* 15.
(e) *Plinius Lib.* 3. *Cap.* 1.
(f) *Plinius Lib* 4. *Cap.* 12.
(g) *Plinius Lib:* 6. *Cap:* 7.
(h) *Herodot: Lib.* 4. *Cap.* 124.
(i) *Flac: Argonaut. Lib.* 6. *v.* 134.

§. 2dus.

Ascenez diversa nomina.

Inter, Tyræ, Hyppanis, ac Borysthenis ostia, *Aschenitæ* habitârunt, ab *Ascenez* orti: de quibus jam innueram. (k) *Ascenez* Patrem *Rhegiorum* dicit Josephus. (l) Alij *Mazicorum* Patrem volunt, Alij pro *Ascenez*, *Asiam* ponunt: sed quid *Ascenez* in Asia (præcipuè Majori) Semo tradita; *Ascenez* apud Jeremiam (m) *Adiabenam* quidam exponunt. Arabicus Jnterpres pro Slavos ponit: & non imperitè. Nam ipsa derivatio vocis *Ascenez*, *Ascanius*, *Axiax &c*: à Slavonico *Axios* (quod *honoratum*, *dignum*, *Principem* significat) desumitur. Bochartus *Ascanios* esse dicit, qui è *Phrygia Majore* Duce *Ascenez* venerunt, & loca circa Pontum occupârunt, seq; per Myssiam usq; ad *Ascanium* lacum extenderunt. (n) Quod verisimile est. Nam in illis confinijs populi quandoq; ex Asia in Europam, & è contra facillimè commigrabant. Unde etiam *Thynni* Myssis Collimitanei, quondam ex Europa, in Asiam venerûnt, ac Bythyniam fundârunt (o)

Tynni Thraces erant, quæ nunc Bysthinia fertur.

Sedes Ascenitarum.

Jsti *Ascenitæ*, forte auxilio fuerunt Trojæ obsessæ, Duce *Phorco* & *Ascanio*. Dicit namq; Homerus, eos ex longvinqua terra venisse. (p) Quod de Regione Asiæ intelligi non potest, nec de Incolis ad Lacum Bythiniæ, cum hæ oræ non longe distarent a Troja & una illarum, cum semper *Græcis* subjecta esset, contra Græcos Trojæ subsidium non mitteret.

Hi

(k) *Vide hic. Par: 3 Cap. 10. §. 4.*
(l) *Joseph: antiqv. Lib 1. Cap. 11.* (m) *Jerem. 51 ℣: 27.*
(n) *Bochartus in Phaleg. Lib: 3. Cap. 9.*
(o) *Claudianus in Eutrop. Lib. 2. ℣. 24.*
(p) *Homerus Iliad. 2. ad fin.*

Hi vero de quibus agimus *Aſcenitæ* ad *Oczakow* longum tractum inter Tyram, & Hyppanim, occupabant includendo. Capita viarum Sacrarum, quas nos *Szlaki, Kozacki, Kuczmańſki, Czarny, &c.* dicimus.

Ex quo collige, non illos tantum, qui *Æolidem, Bythiniam, Phrygiam,* inhabitabant, *Aſcanios* fuiſſe dictos. (q) Verùm illos quoq;, qui circa lacum Aſcanium, & circa Pontum Euxinum manebant. Et aliquando Aſcanii, quandoq; vulgari nomine Phrygii dicebantur. De his forte prophetavit *Jeremias,* quod obſidionem Babylonis juvaturi eſſent. Et defacto juvêrunt *Cyrum* hanc Metropolim obſidentem. Nam Xenophon refert Phrygum equites huic expeditioni adfuiſſe. (r) Neq; dicas, nos commiſcere populos, cum dicamus mixtos fuiſſe, illos præcipuè, qui ab uno ſtipite procedebant. *Aſcenitis* contermini fuêrant ab eodem *Aſcene* procedentes populi juſtiſſimi, ab Hyppani fluvio & à ſuo Protoparente ſic dicti. (Nam & Hyppanis aliquando *Axiaces* nominabatur.) (s) Ab *Aſcenez* deſcendere Germanos putat Aventinus, (t) ex Beroſo id probans, qui dicit. *Janum* Patrem, *Tuiſconem* conſtituiſſe Regem Sarmatiæ à Ponto Euxino usq; ad Rhenum. (u) Dicitq; aut ipſum *Aſcenez, Tuiſconem* fuiſſe, aut ejus nominis Filium habuiſſe, ſed de hoc redibit ſermo infra. (w) Major tamen ratio mox adducenda pro nobis militat, Aſcenitas hic collocandi; à Ponto usq; in Partem Podoliæ & Palatinatus Braclavienſis, ubi nunc *Koniecpol, Grudek, Humań, &c* illorum manſio extendebatur; habendo à ſeptemtrione Ca-


U. J. STORYKÓW W KRAKOWIE

(q) *Johan. Bochartus. Lib. 3. Cap. 9. Nicol: Gürtlerus In Origin: Mun: Lib: 1. Cap: 3. §. 3. Grotzius in Comment. ad Ierem. Cap: 51.* (r) *Xenophon in Cyropadia Lib. 7.*

(s) *Plinius Lib: 4. Cap. 12. Mela L: 2. Cap. 1. Vide etiam hic Par. 3. Cap. 16. §. 14.* (t) *Aventinus Annal Bojorum L. 1.*

(u) *Beroſus Lib. 1. & 4.* (w) *Vide hic Par. 3. C. 16. §. 3.*

Calipidas ab Oriente *Ascantes*, à Merdie *Tyram*, ab Occidente *Neuros*. Hic quoq; eos locat Plinius. *Abest* (inquit) à *Psedostomo, Istri ostio, centum triginta millibus passuum. Mox Axiacæ cognomines flumini.* (x) Dicti autem Axiacæ, quod dignitate cæteris eminerents nam *axios* Slavonicè, *dignus*, *honoratus* dicitur latinè.

§. 3tius.

Ultra Borysthenem ad Ortum, supra Pontum Euxinum ex adverso *Dromonis Achillei* manserunt *Alani*, quorum non meminit quidem Herodotus. Omnes tamen Antiqui Historici Populum Sarmatiæ esse dicunt. Unde Martialis. (y)

Nec te Sarmatico transit Alanus equo

Alanis diversa loca assignantur.

Priscos *Massagettas* esse putat Marcelinus,(z) alij intra,alij extra Immaum eos collocant; quidã illos ad Mæotim propellunt. (a)

Patriamq; bibens Mæotim Alanus.

Quidam è contra circa Danubium Alanos habitare dixerunt. (b) *Torvus ubi & rippâ semper metuendus utrâq;*

In freta, per sævos Hister descendit Alanos.

Sed gratis, communiter enim ad Pontum habitasse dicuntur. (c) Nec dissentire videtur Flavius Josephus mox citandus, qui eos intra *Tanaim* & *Mæotidem* suo tempore habitasse refert. Licet incertum sit, an fontes Tanais, an ostium veiit declarare. Quod si primum? manet illis integer suus locus, quem nos assignamus. Ideo autem sedem illorum mutant Authores, quòd in aliena frequenter excurrerent. Aliquando jun-

(x) *Plinius Lib* 4. *Cap*. 12. (y) *Martialis. L.* 7. *Epi:* 24.
(z) *Marcelinus Lib*. 31. *Cap:* 2.
(a) *Claudian: Lib.* 1. *in Rufinum. Joseph de bel. jud. L.* 7. *C.* 27.
(b) *Valer: Flaccus Lib* 8. *℣.* 218.
(c) *Plinius Lib:* 4. *Cap:* 12. *Ammian: Marcel. Lib.* 31. *C.* 2. *Joan: Calv: in Lexico jurid.*

junćti Gothis, quandoq; Dacis, aut Vandalis, imò & Svevis adhærentes, Rheno transitò, Vörmatiam, Moguntiam, Ambianum vastaverunt. Deinde in Hispaniam, Affricam transierunt. (d) Medos etiam spoliarunt, & usq; in Armeniam venerunt. (e) Aliquando etiam Romani illis fuerant tributarij; nisi quod tributum nomine *Muneris, doni, Stipendij*, cohonestarent. (f) Equites adeò præstantes fuerant, ut (teste Ravisio) centum interdum millia, una die potuissent conficere. Laqueis usos fuisse ad capiendos homines, meminit *Hegesippus*. (g) Valente in Oriente, & Valentiano II. in Occidente Imperatoribus, una cum Gotthis per Hunnos exagitati, in *Thraciam* penetrarunt, (h) tandem ulteriùs excurrerunt. *Reliquiæ* illorum circa *Rhodanum*, quædam circa *Ligerim* consederant. (i) Deinde commixti Britannis, illorum nomen induerunt; ita tamen, ut plures *Brytannorum* Reges, ac Duces, dici *Alani*, non erubuerint. (k) In Cornubia præcipuam sedem fixerunt, ubi & fluvius *Alan* juxta Oppidum *Pastoau* ab illis nomen sortitus est.

Illis Romani tributum dabant.

Alan in Lingva Slavonica putat Diaconus significare *Canem*. (l) Sed potius est deducendum à nomine *Oblan* vel abbrevitate *Olan* sc: *circumfusus*. Etenim hinc Borysthene, illinc Ponto Euxino, & Mæotidis paludibus claudebantur. Hujus denominationis quoddam vestigium manere videtur, circa milites levioris armaturæ in Polonia, qui loco *Alani*, *Ula*.

Alani in Britannia

(d) *Cassiodor in Chron Valesius in notis Gall: Salvia: L. 7. de Prov:*
(e) *Joseph de Bel: Iud Lib 7. Cap: 27.*
(f) *Herodianus Lib: 1. Cap: 2 & 6.*
(g) *Apud Bonfinium decad 1. Lib: 2.*
(h) *Sigonius Lib 8 Imper Ital.*
(i) *Constantin: in Vit: S. Germani Lib: 1.*
(k) *Sidonius Lib: 4 Ep: 1.*
(l) *Boterus. Par: 1. Lib: 1. Tit.* Alani.

Ulani dicuntur. Plerumq; huic militiæ adſcribuntur Tartari, eadem fermè celeritate famoſi, ut cum abeſſe credantur, adſunt. Laqueis quandoq; utuntur, ad capiendos hoſtes, & feros equos, quos laqueos *Arkany* vocant.

Qui in Patria manſerunt, deinde *Cumanorum* nomen aſſumpserunt, ſive ab aliis ita apellati ſunt, quod commiſcerentur finitimis ſeq; invicem *Patrinos* nominarent, quod Slavonicè *Kum* dicitur, (m) à quo *Kumani* quaſi *pokumani*. Hic titulus inter Ruthenos usq; hodie adeo honorificus eſt, ut contemptò aliò fraternitatis, aut affinitatis, tituló *Kume*, ſive *Patrine*! ſe invicem compellent. Viciniores paludibus Ponti; etiam *Potowcij* dicti fuerunt, quod ex Boryſthene, & Euxino, piſcatione; ac per Nemora, venatione, victũ quærerent. Poſteriori ſæculo, multa bella cum Polonis, & finitimis inſtituerunt. A quibus victi, in Hungariam deſcenderunt, ibi Tartaris juncti etiam Hungariam fædiſſimè vaſtaverunt. (n) Ab his *Human* Oppidum nomen ſortitum eſt: antea *Kuman* dictum, nec non *Kumanow*, *Dumanow &c*: pagi in Podolia. *Cumanos* prorſus diſtinctos eſſe puto ab illis, qui Græcis cohabitabant.

Kumani & Potowcij unde dicti

§. 4tus.

Ad Emporium Boryſthenis, habitabant *Olbipolitæ*, verſũs flumen *Panticapen* ſive *Pripetum*. Undecim dierum navigatione per Boryſthenem, trium autem dierum itinere versùs Orientem. (o) Hi etiam ſunt, *Scythæ Agricolæ*: à Græcis verò circa Hyppanim manentibus, *Boryſthænitæ* ſunt dicti. Et ipſi videntur eſſe mixti ex Græcis ac Scythis (ſed

(m) *Gvagninus Chron. Sarm: Lib.* 3. *Par:* 3. *fol:* 30.
(n) *Dlugoſz Hiſt: Polon* L 3. 4. 5. 6. *Bonfiniũs Lib:* 8. *dec.* 2.
(o) *Herodotus Lib:* 4. *Cap.* 18.

(sed posteriori multò tempore) Urbs ibidem ampla ad Littus Borysthenis fuit condita vel potius ampliata, à *Milesiis*, *Olbia* dicta, (p) Sed & ipsa, à flumine, *Borysthenes* fuit aliquando apellata. (q) Nullibi hujus emporij commodiorem locum invenio, quam in proximo littore, ubi nunc Oppidum *Krylow*, consistit. Plinius *Olbipolim*, & *Miletopolim* ibidem ponit, non duas Civitates, sed unam binominem. Quia namq; à *Milesiis* fuerat extructa, vel potius frequentata, *Miletopolis* dici poterat: Jbidem etiam fuerat portus *Achæorum*. Insula verò, quam nunc *Tasmin* fluvius, & *Borysthenes* efficit, *Achillis* antea dicebatur. (r) Ibi namq; corpus Achillis sepultum fuisse credebant veteres, à Matre ejus *Thetide* huc translatum. (s) Rhodigius *Jnsulam Achillis* dicit eandem cum *Dromone* ejusdem. (t) Sed prorsus aliam esse clarè constat. *Dromon* enim est juxta *Hylæam*, non *Olbipolim*; *Dromon* est peninsula non insula. In Dromone nullæ aves morantur; *Jnsula Achillis* plena est ardeis albis (quas nos Moschoviticas nominamus, alibi *Sniguly* dicuntur) unde etiam *Phaenna*, & *Alba* Jnsula a Græcis appellabatur. Sed quia hæc quoq; Regio *Hylæa* dici poterat, (u) ideò satius duæ Hylææ, & Jnsula Achillis, diversa ab ejus Dromone, assignanda est: Una nimirum *Hylæa* proxima Hyppani, altera hæc, quam Panticapes interfluebat, & ubi Borysthenitæ manebant. Juxta Borysthenem, ad occidentalem plagam, ubi nunc *Krylow*, seu vetus *Olbia*, Czechryn, *Kudak*, &c;

Olbipolita ad Borysthenem.

Dromon Achillis.

(p) *Joan: Marscham. Canone Chron. sæc:* 16

(q) *Strabo Lib;* 7.

(r) *Plinius Lib:* 4 *Cap:* 12.

(s) *Apolinus. Lib.* 4. *Argon:* ℣. 869. *Agamestor in Thetidis Epithalamio*

(t) *Rhodigius Lib:* 4. *Cap;* 14.

(u) *Vide hic Par:* 3. *Cap:* 11. §. 18.

Jnter Scythas Olbipolitæ præcipui amici fuerant Romanorum, quos à *Thauroſcythis* vexatos, juſſit egregiè defendi *Antonius Pius*, ita; ut *Thauroſcythæ*, *Olbipolitis*, obſides dare cogerentur. (w) Ulterior tractus ab Herodoto, creditur fuiſſe per longum ſpatium deſertus.

Andropha gi carnivori. Ultra quam ſolitudinem, trans Boryſthenem habitarunt *Andropagi* ideſt *humanis carnibûs veſcentes*. (x) Ab occidente habebant Scythas *Nomades*, ſeu Paſtores, à meridie Scythas *Baſilides* ſeu Regios. Manebant ubi nunc Civitas *Moſkwa* occupantes præterea partem Palatinatûs Smolenſcenſis, & Ducatus Rozanenſis. Hi infra reliquos rudiſſimi erant, ut pote nullas leges, nulla judicia habentes, pecudes quas paſcebant, imitati. Præter veſtem Scythicam, in nullo alio vicinos imitati, imò adeo ſolecizabant, ut nec Scythicè loqui crederentur. (y) Hos, versùs ſeptemtrionem, decem dierum itinere ſupra Boryſthenem, habitaſſe dicit Plinius. De quibus hæc notat: *Antropophagi Scythæ, humanis carnibûs veſcentes. Ideo, juxta vaſtæ ſolitudines, ferarumq́ multitudo, haud diſſimilem hominum immanitatem obſidens. Iterum deinde Scythæ, iterum deſerta cum belluis*. (z) Et alibi *Antropophagos oſſibus humanorum capitum bibere cutibusq́ cum capillo, pro mantelibus ante pectora uti*. (a)

Sed juxta *Olbipolitas* propius manebant *Calipidæ* in Palatinatu Kijovienſi ubi nunc *Kaniow*, *Czerkaſy*, *Korſuń &c*: Hi tractabiliores cæteris fuerant, Græcos ad mutuam cohabitationem admittendo, & Colonias illis permittendo. (b)

§. 5tus.

(w) *Capitolinus in Antonio Pio C: 9. Caſaubonus in Notis ad eundem*
(x) *Herodotus L. 4. C. 19.* (y) *Herod: Lib. 4. Cap. 106.*
(z) *Plinius Lib. 6. Cap: 17.*
(a) *Plinius Lib: 7 Cap: 2. Rhodig: antiqu. lect: Lib: 16. Cap. 16.*
(b) *Herodotus Lib: 4. Cap: 17.*

§. 5tus.

Neuri Podoliam occupabant, ubi hodie *Camenecum*, *Barium*, *Katuß*, *Szarogrod &c*: versùs septemtrionem ultra Hyppanim *Issidones*, ab ortu, *Axiaces*, ab occasu *Halizones* collimitaneos habebant, a meridie *Dnestro* à Thyrangitis arcebantur (*Tyras* enim Terram Scythicam a neutride dividebat) (c) Jliorum Terra à Serpentibus maximè fuerat infestata, ut vel horum extirpandorum gratiâ, solum vertere cogerentur. Jmo dum hos ipsum desertum foveret, unde tandem prodibant; ad *Budinos* Sedem tranferre multi cogebantur. (d) Et certe hoc sæculo pestis hæc cessavit cum homines (post bella continua cum Turcis, & Tartaris) multiplicati, excisis lucis, accensis ignibus, & variis modis aliis, bestias istas pepulerunt. Sylva namq;, infra *Zbaraz* quondam incipiens, & usq; in Tartariam extensa per aliquod dena milliaria (*Niedobur* dicta) & alia circa *Szarogrod Kuczmań* apellata, inter dumeta & rupes, bestias immanes alebat præcipue Genus quoddam serpentum *Połoz* dictum, aliquando ad quatuor, & quinq; Orgias longorum, qui pecudes quoq; devorabant. *Serpentes multè apud Neuros.*

Mirum de his Scythis tradunt, post Herodotum, etiam alij Authores. (e) Jllos statuto tempore ad paucos dies, luporum formam, & rabiem assumere consveviſſe. Quod non credenti Herodoto, alij Scythæ; ac Græci jurejurando con- *Homines in Lupos mutari.*

 fir-

(c) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 51.
(d) *Herodotus Lib*: 4 *Cap*: 105
(e) *Herodot*: *Lib* 4. *Cap* 105. *Mela Lib*: 2 *Cap*: 1 *Vide Vossium in Not*: *ad Melam Bonfinius Lib* 1 *decad* 1. *Olaus Lib*: 18. *Cap*. 45. *seqv*; *Bodinus*. *Lib*: 6: *Dæmon*; *Cap*. 6.

firmabant, Virgilius id contigisse dicit ex usu cujusdam herbæ in Ponto crescentis, qua *Mœris* quidam uti solebat. (f)

Nascuntur plurima Ponto
His sæpe lupum fieri & se condere Sylvis
Mœrim sæpe imis animas excire sepulchris
Atq; satas, aliò vidi traducere Messes.

Vossius credit, non omnibus simul, sed singulis, diversò tempore hanc Metamorphosim accidisse. Ego prorsus id negare possum (excipiendo Magos & præstigiatores, qui Diaboli ope fascinum hunc aliis poterant imprimere.) Quamvis enim, plures se in lupos conversos crediderint, (g) vel à Poëtis, & credulis Historicis, tales *Lycaones* describantur. Defacto tamen *erat* solùm malæ affectæ phantasiæ morbus, ab atra bile procedens. De Neuris autem, vel ideo hoc tanquam certum referebatur, quòd forte, more aliorum Scytharum, velut lupi Parentes suos vorarent. (h)

Et raptor Avorum
Neurus, & expertes canentis Iazyges ævi.

Vel potius quod essent Viri strenui, ac fortes bellatores qui statuto tempore ad prædam exibant hominesq; interimebant.

Id explicatur mitius. Ideo namq; & *Beniamin* propter fortitudinem lupo assimilatus. (i) *Abares, Cimbri, Teutones*, cantu, quasi lupino ululatu, se ad conflictum incitabant. (k) Unde lupus ob dictas causas Marti Sacer fuerat, & *Martius* appellabatur. (l) Romanis lupus signum militare fuerat. Et plures Heroës, pro

(f) *Virgilius in Bucolicis.*

(g) *Sanctus Aug: de Civ: Dei Lib. 18. Cap. 8. Ægineta. Lib: 3. Cap: 16 Georg: Sabin. in Ovid: Metamorph: Lib. Plin: L. 8. C. 22.*

(h) *Valer Flac Lib. 6. ℣. 121.*

(i) *Genes: 49. ℣. 27.*

(k) *Plinius Lib. 26, Cap. 4.*

(l) *Virgil: Æneid. Lib: 9. ℣. 566. Horat: L. 1. Od. 17. ℣. 9.*

prò galea, Capite lupino usi sunt. (m) Fortitudo ergo Neurorum & belli aviditas, de conversione in lupos, occasionem dederat. Quod verò nonnulli *Neuros* in Livonia collocent, ob affinitatem nominis, quo extrema illius Oræ Civitas *Nerva* apellatur, falluntur maximè. Cum præter *Herodotum* etiam, & *Dyonysius* in suo Græco carmine illos confines *Melandænis*, *Gelonis*, *Agathyrsis*, *Borysthenitis*, *Massagetis* affirmet. (n) Principalis eorum Civitas erat *Clepidava*. Quia verò in confiniis *Neurorum* & *Bastarnarum* erat posita, ideo nunc illis adscribitur. *Cluverius* putat *Clepidavam* eandem fuisse, quæ nunc *Camenecum* dicitur Urbs fortissima, & fossis profundissimis in durissima petra naturaliter factis, cincta, per quas fluvius *Smotrycz* decurrit.

Sive autem *Camenecum*. Sive alia proxima illi Civitas fuerat? potius *Sclepidavam* fuisse dictam credo, quàm extranei exclusa una consonante *S*: *Clepidavam* apellabant, *Sclepidava* verò nominata fuerat à multitudine cavernarum, arte, vel à natura concameratarum (nam *fornix* à Polonis *Sklep* dicitur) Plurimas autem tales cavernas (imò, & alia monumenta antiquitatis, ut pote aggeres manu factos, ad aliquod decem milliaria protensos) circa Fortalitium *Kamieniec* facillimè reperies. Tribus miliaribus à dicta Civitate, in luco quodam, & paululum eminenti colle patet os ad specum amplissimam, in quam, gradibus è ligno fabricatis, & ostio arte facto descenditur. Cubicula variè disposita, Labyrinthum quendam constituunt, variæ quoq; sculpturæ videntur, Fontes etiam perennes, & rivi defluunt. Illustrissimus *Martinus Kacki* Castellanus Cracoviensis Generalis in Exercitu Regni Poloniæ, tentavit loci extremum attingere. Misso igi-

Specus admiranda in Podolia.

(m) *Paschalis de Coronis. Lib: 10. Cap: 17. seqv.*
(n) *Dyonisius* ℣. 310.

igitur plurimo milite victualibûs proviso, jussit terminum speluncæ inquirere. Sed post triduum redeuntes, se finem non invenisse, retulerunt. Visa narrarunt, parietes diversorum colorum in marmore excisos reperisse. Inciderunt quoq; in os cujusdam (ut opinabantur) putei: in quod octoginta ulnarum demisso fune, cum pondere fundum attingere non poterant. Idem tentavit Nobilis, Johannes *Kopenhauz* Generalis, sed post sex horas redire coactus est: alij, tredecim horis errantes, terminum ullum non repererunt. Sunt in proximo aliæ quoq; amplissimæ speluncæ, præcipuè circa pagos *Dumanow*, *Ormiany*, *Krzywcza*, *Czercze*, *Krolowka*, *Bakota*, *Studenica*, *Barßow*, nec non circa Fluvium *Smotrycz*, plurimis in locis, amplissimæ, quædam nondum cognitæ latitudinis, atq; longitudinis. Videntur ibidem Cadavera hominum jacentium, sedentium, stantium. Jmo plures Matres infantes suos, aut lactantes, aut bajulantes. An vero Isti Homines incolæ perpetui hujus specûs fuerint, vel illuc ad tempus quoddam periculum grande vitaturi, declinaverint? non constat. Certùm tamen est antiquos populos hujus Regionis, cavernas subterraneas pro domibus habuisse. Unde & Provincia tota, nunc quoq; *Podolia* dicitur, quod primitus homines consveverint specus subterraneas & a talibus domibus, primitûs incolæ *Podolanie* dicti sunt, quasi, in specubus *po dołach* habitantes, nec hanc apellationem, etiam nunc respuunt.

§. 6tus.

Supra *Neuros*, & *Axiaces*, partem magnam *Valachiæ*: Poruli *Bastarnæ* dicti possidebant, versùs Danubium (quos *Xantus Lydus* antiquitas *Bærecynthios* fuisse apellatos dicit. Regionemq; eorum *Berecynthiam*) Hi prohibebant Romanorum Arma in Scythas, & Bastarnæ semper illis primi occurrebant teste Ovidio. (o)

(o) *Ovid: Trist: Lib* 2. ℣ 197. *Gelius Lib.* 10 *Cap.* 7. *Seneca* *Natur: Lib* 4. *Ptolomæus Geogr. Lib.* 3. *Cap.* 5.

Hactenus Euxini pars est Romana sinistri
Proxima Bastarnæ, Sauromatæq; tenet

Licet à Scythis minimè tutæ essent Romanorum Coloniæ, in quas excurrebant frequentissimè præcipuè dum gelu adstringerentur undæ fluminum, teste oculato Poeta. (p)

Basfarnæ Romanis confines.

Ubi frigore constitit Ister
Dura meat celeri terga per amnis equo
Maxima pars hominum nec Te pulcherrima curat
Roma; nec Ausonij militis arma timet

Habitabant autem supra fluvium *Pyreton* sive *Prut* ubi nunc *Sniatyn, Tlumacz, Horodenka, Stanislaopolis* &c: *Dacis* & *Ostrogothis* ad meridiem, *Neuris* ab Oriente, *Halizonibus* à Septemtrione, *Peucinis* ab occasu, confines. Axiacibus sat familiares, illis sociabuntur in bello. (q)

Basthernæ Romanis infensi.

Atq; ubi Sidonas inter pedes æquat habenas
Illic juratos secum trahit Axa Bathernas

Antiquitùs pro *Axa*, positum erat *Æa*; prò hoc, Valesius supposuit *Æxa*. (r) Sed cum hoc quoq; ignotum sit ego substituo *Axa*, ubi Pòeta abbreviate pro *Axax* aut *Axiax* populo *Axiacum* posuit *Axa*. Quâ licentiâ Pòética mox etiam utitur pro *Bastarnas* vel *Basternas*, ponendo *Baternas*. Hi *Gothis* & *Thracibus* conjuncti, victi sunt à Romanis. (s)

Cæde tumentes
Basternas unâ potuit delere ruina.

Aliquando confunduntur cum *Peucinis*. Aliquando in Lithvania adjunguntur *Alanis*. Cluverius tamen (licet confusos aliis) collocat in Podolia, ac Volhynia. Hujus tractus po-

(p) *Ovid: de Ponto Lib. 1. Eleg: 3.*
(q) *Valer Flac: Lib. 6. ℣. 95.*
(r) *Plinius Lib. 6. Cap. 7. & 17.*
(s) *Henricus Vales: in not ad Excerpta & Joan: Antiochenu.*

puli, commodioribûs tum navigiis, tum curribûs utebantur, qui eos ab æſtu & imbribus tutarentur. Et navigia quidem *Cameræ* ex Slavico *Komory* dicebantur. (t) Currûs nomen diſtinctivum non memoratur. A *Baſternis* ad Romanos, hoc vehiculi genus tranſlatum, & honeſtæ Mulieres tectis carpentis vehebantur: *Baſternasq;* dicebant. (u) quod à *Baſternis* modus tectorum vehiculorum ſumptus fuerit. Poſtea lecticis & ſellis clauſis undiq; hoc nomen attributum, (w) quos viri, vel burdones muli portare ſolebant. Lecticæ hæ interius mollibûs ſtramentis erant inſtratæ ad commodum vectorum, aut portatorum teſte Marello, (x)

Baſternâ vectus; quâ ſtratus erat ſibi lectus.

Antes populi Slavi. Jn hoc tractu locandi ſunt *Antes* ſive *Antæ* populi. Illos Plinius *Antacas* & *Antarianos* vocat in Proximo *Arimasporum*, & *Iſſedonum* locando. (y) Jornandes Slavinis annumerat, dicitq;; *Antes verò qui ſunt Eorum* (ideſt Slavinorum) *fortiſſimi, qui ad Ponticum Mare curvantur, à Danaſtrò extenduntur, uſq; ad Danubium.* (z) Ex quo Patet Scythas hos ſæculo VI, (Jornandes) jam palam fuiſſe Slavos apellatos. Hi in Provincias Romanas irruentes ſub Juſtiniano Imperatore, per *Childibium* Ducem repulſi. Deinde poſt aliquot Annos, à *Germano* Sororis Juſtiniani Filio, fermè ad internectionem deleti ſunt. Unde Juſtinianus titulum *Antici* eſt adeptus: quem *Holoander* rectè loco Atfici ſubſtituit. (a)

§. 7mus

(t) *Tacitus Hiſt: Lib 3. Cap 47. Strabo Lib.* 11.

(u) *Salmaſius ad Tertul: de Pallio. Caſaubonus ad Lamprid. de Heliogobalo Cap* 4.

(w) *S. Hier: Ep: 22 Iſid: Orig L. 20 C. 12 Roſsweidus in Vitas Patrû.*

(x) *Marcellus in Quirin Ecloga* 10

(y) *Claudi nus in I. Conſul: Stilliconis Lib.* 1. ℣. 95.

(z) *Jornandes de Rebus Geticis. Cap:* 2.

(a) *Alciatus Paregr. Lib;* 5. *Cap* 3.

§. 7mus.

PEucini, pariter Gens Scythica, à septemtrione habebat Auchatas, ab Ortu Argipæos, & Bastarnas, ab occidente Carpinos, à Meridie Carpatum Montem; Residebant, ubi nunc est Leopolis, Zydaczow, Rawa, Wißnia, Busk, Gliniany &c. Hanc Gentem sibi vendicant Germani, & stat pro illis Strabo. (b) Peucinos Germanos asserens, quod libenter Germani defendunt. (c) Tacitus Peucinos & Bastarnas confundit, dubitans tamen; an illos Sarmatis, an Germanis, adscribere debeat. (d) Moribus Germanis similes (eò quòd Domos ædificarent) habitu tamen Sarmatorum fædari, dicit; ideò quod Proceres à Sarmatis uxores ducerent. Hæc omnia vana! Etenim, & Peucini à Bastarnis distincti fuerant (ut mox patebit) neq; Finnonibus, aut Venedis unquam fuerant collimitanei: dicit enim Plinius Ex adverso Bastarnæ tenent, Italiq; inde Germani. (e) Neq; omnes Scythæ in equo & plaustro vivebant (ut ipse suponit) & infra de Budinis, aliisque dicetur. Sed facile errare potuit, ex relatis aliorum scribens. Illa etenim narrabat, quæ a Germanis tumentibus, in Belgio audivit. Cùm ultra Albim Romani terram Sarmatarum prorsus non viderint. Melius Peucinos locat Plinius, qui eos licet Germanis annumeret: facile tamen conciliari potest verbò tenùs illos Germanos velle dicere, re tamen ipsa Scythas asserens. Dum & Peuce insulam, ad ostium Danubij, in Scythia monstrat

Peucinorum sedes

P

(b) Strabo Lib; 7.
(c) Cluverius Germ: antq. Lib. 3. Cap. 24. Joan. Micrælius Chron: Pomer. Lib 1
(d) Tacitus de Mor: Germ. Cap 46.
(e) Plinius L: 4. Hist: Nat: C 12. & 14 Melanch. L; 4. Chroni.

Advenæ tamen in hanc O-ram. strat: & *Peucinos Baſtarnasq;* Dacis conterminos eſſe dicit. (f) Poterat quidem fuiſſe, quòd alterius forte nominis hanc o-ram incolerent Populi, ſed prorſus ignoti, quos, aut pepulerunt ſupervenientes Peucini, aut Hoſpitum incolæ nomen aſſumpſerunt. *Peuce* namq; Jnſula fuerat. (g) una ex illis, quæ in oſtio Danubij ſunt.

Sparſamq; profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Iſtri.

Ab hac Jnſula migrantes Populi *Peuci, Peucæ, Peucini,* a diverſis Authoribus diverſimodè nominantur non Germani tamen, aſt Scythæ fuerunt. Et certum eſt illos hic ab antiquiſſimo tempore manſiſſe, ubi eos colloco, conſentiente etiam *Sanſone. Sanadon* confundit *Peucinos,* cum *Baſtarnis* locatq; inter *Viſtulam & Weprum* in Polonia, extenſos, ſupra *Dnieſtr* usq; ad Fauces Danubij; Sed nunquam auditum tam amplam Gentem, quæ ſola Regnum conſtitueret in Polonia ſediſſe. Cum *Baſtarnas;* & *Peucinos,* ponant Authores, tanquam Gentes diverſas, Scythiæ Europeæ, non adeo magnam partem occupantes.

§. 8vus.

Carpiani cum Romanis bellabant. *Carpiani* Populi à *Peucinis* clauſi, tam ab Oriente, quam a *Septemtrione. Jazygibus, Metanaſtis* à Meridie, *Beſſis* ab Occidente, confines; ubi nunc *Premiſlia, Samboria, Sanok, Zmigrod* &c: Hi etiam prius circa Pontum habitarunt; verùm Sedem huc transtulerunt. Utrum autem ante *Aurelianum* id contigerit? an poſt ipſius Victoriam de *Carpicis*? concludere non audeo. Certè hic Jmperator pacato Oriente, etiam *Carpicos* vicit Gentem Scy-

(f) *Plinius ibidem Ptolom: Geogr: Lib 3. Cap. 5.*
(g) *Lucanus Lib. 3. V. 202. Plinius Hiſt Nat Lib: 4. Cap: 12.*

Scythicam, (h) & in Terras Romanorum transtulit. Id prius *Diocletianum* fecisse (in Pannoniam hanc Gentem transferendo) probat Rhenanus. (i) Meminit *Lazius* pagi *Carpis* ad Danubium inter *Strigonium* & *Budam*. Sed *Carpos* Romanis infestos, primùm Montes Carphatos possedisse, deinde ad Danubium processisse, testatur Eutropius. (k) *Carpetani* etiam dici poterant à jugis Carpati taliter dictis. (l)

Dici quoq; poterant *Carpici* à peronibus (genus est calceamenti multifariam alligati) qui in diversis locis Poloniæ diversimodè appellantur. Sed circa Carphatum Montem communiter *Kurpie* vel *Kurpiele* dicuntur, à quorum usu in Podlachiæ, & Lithvaniæ confiniis, rustici Sylvas inhabitantes & ex venatione victitantes *Kurpici* vel *Kurpikowie* appellantur. *Perones kurpie a Carpicis.* Notum hoc genus calceamenti fuerat Romanis. (m) Nec dissimili quandoq; voce appellatum *Carpisculi*. Unde cum Senatus post devictos *Carpios* Aureliano titulum *Carpici* adderet; illum rejecit, dicens: *Superest P.P. Cons: ut me etiam Carpisculum vocetis*, (n) innuens deformis calcei nomen. *Gothi* & quidem insigniores (qui secum confines. Populos ad prædam duxerunt) talibùs calceamentis usi sunt; de quibus Apolinaris. (o)

Nec tangere possunt
Altatæ surram pelles, & poplite nudo
Peronem pauper nudus suspendit equinum.

Hos Carpinos non malè Cluverius inter Carphatum & Vistulam locat. (p) licet erret in Origine ipsorum. §.

(h) *Vopiscus in Aurelin Cap:* 30.
(i) *Rhenanus Rer: Germ nov. antiqv: Lib.* 1.
(k) *Eutropius Lib.* 9 *Cap.* 15.
(l) *Plinius Lib* 3. *Cap* 1.
(m) *Persius Satyr:* 5 ℣. 102 *Paul: j C. Lib* 3. §. 5. ff. *de effic: Præf: Vig: Tertulia: de habitu mulier Cap* 7.
(n) *Vop: in Aureli: C:* 30. *Vide etiam ibid. Not. Cosauboni & Salm:*
(o) *Apolina: Carm* 7 ℣. 445.
(p) *Cluverius Germ: antiqv. Lib.* 3.

§. 9nus.

Bessi vel *Biessi*, confines *Carpianis*, circa Montem Carphatum habitarunt ubi *Sandecz*, *Zakliczyn*, *Biecz*, &c: illos hoc ordine non ponerem; (cúm hæc pars Regionis ad Poloniam pertineat) Sed quia *Bessi* sunt gens Scythica, & aliquando manebant ad Pontum in vicina Russia, ideo illorum Originem hic explico breviter. Jn *Thracia* manserunt inter *Pangænum* & *Hemum* Montes. Multiplicati, ulterius etiam processerunt & Sedes Getis vicinas posuerunt. (q)

Vivere quam miserum inter Bessosq; Getasq;

Extensi etiam fuerant usq; ad Istrum, quorum irruptio in Daciam revelata fuerat S. Stephano Regi Hungariæ. (r) Pars illorum in his oris remansit. Nomen diu retinuisse suum constat, nam ea pars Carpathi, quam incolebant ab ipsis *Beskid* & *Bieszczad* est appellata. *Becium* Civitatem ab illis nomen sortitam esse opinatur *Gvagninus*, qui illos submontana Carphati incoluisse dicit. (s) Jd autem ex Ptolomæi sententia dicere videtur, qui etiam *Biessos* circa *Carphatum* locat. (t) Aut eosdem cum *Pieczyngis* (quos *Piengitas* apellat) aut illis collimitaneos. Bautrandus licet eos aliquantum removeat versus Occidentem, attamen in ijsdem submontanis Regionibus dicit habitasse in *Pokutia*. Sed mihi probabilius videtur hic Carpianos, & partem Bastarnarum locare, quibus adjuncti fuerant *Sabori* (à quibus *Sambor* Civitas) qui etiam à Ptolomæo in vicinia Carpathi habitasse dicuntur. Gens

Beskid Becium, a Bessis denominata.

hæc

(q) *Ovid: Trist: Lib. 4. Eleg: 1. ℣. 67.*
(r) *Bofinius Lib. 1. Decad: 2.*
(s) *Gvagninus Hist: Sarm Lib. 1. Par. 1 de Orig: Sarm.*
(t) *Ptolomeus Geograph. Lib. 3. Cap. 5.*

hæc submontana nondum totam ferocitatem Scythicam exuit, nam frequentibûs latrocinijs infamantur. Et quia prædando facibus adurere solebant latera hominum, ab antiquis *Pieczyngi* quasi *Assatores* dicti sunt. Hos populos Ptolomæus videtur subdividere in *Biessos*, qui circa *Beciam*, in *Piengitas* vel *Pieczyngas*, qui circa *Sanociam*. Et in *Saboras*, vel *Zaboros* à prædando dictos (nam *Zabor* in nostra lingua *prædam* significat) qui circa *Samboriam* manebant. Crudelitas ipsorum in torquendis innocentibus, plebi occasionem dederat, nomen ipsorum Diaboló imponere, quod ipsi etiam commissum sit, cruciare animas damnatorum: hinc apud Polonos, *Diabol*, Synonymum *Bies*. *Bies seu Diabolus, à Bessis cur?*

Gentem antea propriam constituebant, & sub propriis Ducibus in Russiam excurrebant: *Swiatoslaum* Ducem Kijoviæ, cum exercitu sustulerunt. *Wladomirum* vicerunt: *Jaroslao* auxiliares Copias miserunt. (u) Modò subsunt Regno Poloniæ (Palatinatui Cracoviensi adjuncti) aliqua pars illorum ad Russiam, Terramq; Sanocensem, & Halicensem pertinet. Ibi, qui latrocinantur *Opryszki* dicuntur, quod aliò modò crucient homines infundendo intra calceos cinerem mixtum ardentibus prunis, quæ *Prysk* appellantur. Plures per Carpathum dispersi, & ultra illum extensi, ad Hungariam pertinent: Moribûs, Jdiomate, Religione, non dissimiles, ideo sub ferula tenentur utrobiq;: licet latrócinandi causa quandoq; etiam usq; in Valachiam excurrant. *S. Nicetas* Episcopus Dacorum, illos sæculo, IV. ad fidem convertit. Cui applaudit Carmine S. Paulinus Episcopus Nolanus. *Antiquitus ad fidem conversi.*

Nunc magis dives pretiô laboris
Bessus exultat, quòd humi manuq;
Ante quærebat, modò mente cælo
Colligit aurum.

An

(u) *Dlugosz Hist: Polon. L. 2. Gvagnin: L. 3 in Descr: Russiæ*

An vero in Thracia, vel Polonia, prædicaverit? pro utraq; par ratio; cùm & locorum distantia sit ferme eadem, & mores Gentis non dissimiles, *Biessi* qui domi morantur, ac œconomiæ student, optimi sunt Catholici, devoti, simplices, & ab omni nota criminis liberi. Et licet non amplius nominentur *Biessi*, sed *Montani* vel *Monticelæ* vulgò *Gorale*, nescio tamen, qua naturali inclinatione, prodant antiquum suum nomen: cum nullam particulam discursus incipiant (præcipuè illi, qui ultra Cracoviam manent) quin particulam *Bie!* præponant: quæ nullibi in Polonia auditur, nisi in hac ora Palatinatûs Cracoviensis, nec significat quidquam determinatum, sed est solum quædam nota exclamationis, & hujus Gentis specialis tessera.

Sermo prodit Biessos antiquos,

§. 10mus.

Sed iterum in Russiam cogimur redire, reliquas Gentes descripturi. Supra *Bastarnas*; *Halizones* ponuntur; à meridie Dnestro separati, ab Occidente *Argipeos*, ab Oriente *Neuros* ac *Issedeones*, a Septemtrione partim *Argipæos* partim *Budinos* collimitaneos habuerunt. Ibi autem manebant ubi nunc *Halicz*, *Buczacz*, *Tarnopol* &c: consistunt. Civitati Haliciæ ac toti illi Terræ Haliciensi, Halizonum impressum creditur esse nomen ita; ut eosdem, qui nunc *Haliczanie* seu *Halicenses* dicuntur, à Græcis *Halizones* appellatos fuisse credimus. Provincia hæc aliquando Regio titulo fuerat cohonestata, sub *Colomano* Filio *Belæ* Regis Hungariæ & *B. Salomea* castissima consorte. (w) Sed breviter hic titulus duravit, post plura enim bella Regnum hoc Ruthenis cessit, deinde ab illis vindicandum, in Provinciam redactum, Poloniæ adjunctum est. Ha-

Halizones circa Haliciam

(w) *Dlugossius Hist: Polon. Lib. 6.*

Halizones juxta *Calepidas* Herodotus locat. (x) Scytharum more vivere dicit, in victu tamen Græcis similes affirmat, cum frumentum ferant, ac edant, & lente, milio, Cæpe, & allio, utantur. Quo, satis benè nostrorum *Halizonum* terra designatur, ut pote campis, & hortis colendis, optima. Hoc unum difficultatem objicit, quód ipsemet inferius *Exampæum* fontem (qui Hyppanim fædat) ad fines *Halizonum* oriri dicat. (y) Et licet hic *Alizones* superius *Halizones* ponat Latinus interpres, in Græco tamen constanter ponuntur *Alazones*, adeóq; ex pura aspiratione literæ diversitatem Gentis arguere non possumus. Nec tam fortiter retrahere nos potest fons *Exampæus*, ut propter illius sat incertam originem, Halizonum Sedem mutemus, & juxta Hyppanim eos constituamus: cùm potentiores rationes svadeant, à fontibus quidem Hyppanis non multum eos removere, sed ab Exampæo (si ille est, quem supra determinavi) longiori tractu, ad *Tyram* fluvium satius visum est collocare. Potuerunt autem, vel ipsi fines Alizonum ulterius extendi, aut dicendum de Origine fontis non adeò expeditam nobis Herodotum reliquisse notitiam. Forte etiam *Halizones* cum *Scythis Aratoribus* conjungi debent; cum & ipse victus Halizonum id innuat, & frustra videntur multiplicari Gentes, per synonima, *Agricolarum*, *Aratorum &c*, dici supponit *Strabo*, ex eo, quód divitiis abundarent. (z) Plinius idem videtur innuere, sed illos inter Bythiniam locat. (a) Forte persvasus ab *Halizone* fluvio ibidem reperibili Gentem Alizonum denominationem sortitam fuisse.

Obscurus locus Herodoti de Halizonibus.

§. IImus.

(x) *Herodotus Lib.* 4. *Cap* 17.
(y) *Herodot: Lib.* 4. *Cap.* 52.
(z) *Strabo Lib.* 14.
(a) *Plinius Lib.* 5. *Cap:* 32.

§. 11mus.

Issedonum sedes.

Jssedones, à Meridie *Neuris* & *Axiacibus*, ab Occidente *Halizonibus*, à Septemtrione *Budinis*, ab Ortu *Calipidis* Confines, Provinciam occupabant, ubi nunc *Bialacerkiew*, *Zywotow*, *Braclaw*, &c: Natio erat Scythica & à notitia antiquorum remotissima, ad quam *Aristeas Proconessius* instinctu Phæbi se venisse jactabat, de ulterioribus Gentibus ab Jssedonibus instiuctus. (b) Plinius *Issedones* vocat, ac Dacis, & *Massagetis* confines ponit. (c) Hi Parentes suos post fata vorasse perhibentur. Nam quotiescunq; alicui Pater mortuus fuerat, hoc denuntiabatur Propinquis, qui pecora secum adducentes, ea mactabant, carnemq; tum pecorum, tum Patris, miscentes, coquebant, & vorabant. Caput autem cute purgatum deaurabant, tanquam rem Sacram venerabantur, quolibet Annò Sacrificia illi peragentes, quemadmodum Græci natalitia. Uxores illorum, fortitudine, & animò, Viris pares. (d) Hos ego suppono Slavonice dictos fuisse *Ziedony*, *Voratores*, quos Græci (inter *Tyrangitas*, *Budinos*, *Olbipolitas* &c: manentes) primò in suam dialectum vertendo *Ziedonens* nominarunt, deinde ab aliis remotioribus *Issedones* appellati sunt. Jllorum epulæ, magis pietatem erga Parentes, quam crudelitatem declarant, quærentes namque (juxta ruditatem illius sæculi) præstantissimum defunctis sepulchrum, dignius non judicarunt, quam intra sua viscera. Quod confirmant anniversariæ illæ solemnitates, in memoriam demortuorum celebratæ. Jd etiam innuere videtur Ovidius.

Ex Slavonico sic dicti.

Vorabant Parentes suos.

Sunt loca, sunt gentes, quibus est mactare Parentes
Et fas & pietas, dum longa supervenit ætas.

(b) *Herodotus Lib*: 4. *Cap* 13 6.
(c) *Plinius Lib*. 6. *Cap*. 17.
(d) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 26.

Quod apud *Jssedones* pietas, hoc apud *Thracas* aliquando crudelitas fecit, ut ex ossibus humanorum capitvm biberent. (e) *Boij* Sacrum vas, quo Dijs libarent, auro cranium humanum cælantes in usu habebant. (f) Jdem de *Celtis* testatur Silius. (g)

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent.
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant

Jdem de pluribus, alii referunt. (h) Mitiores in hoc *Jssedones*, qui non crudelitate, verùm pietate moti, simile quid faciebant. Sed hic ritus & humani sangvinis in Sacrificiis usus etiam apud Germanos frequentissimus. (i)

Meminit aliorum *Jsidonum* Herodotus, (k) in Asia, circa Araxem fluvium qui cum istis nil commune præter nomen habuerunt. Jlli foliis cujusdam arboris in ignem conjectis, fumò haustò inebriari consveverunt. (l) Folia hæc, non alia esse credo, nisi plantæ *Tabaci* quæ libenter, Turcæ, Persi & Scythæ, imò & hujates fumigant, fumus verò indiscretè ore tractus, vertiginem capitis causare solet, præcipuè illis, qui usui tabaci non asveverunt. Civitas Capitalis horum Jssedonum est *Czalis*, á qua & Provinciæ nomen. *Tabaci usus antiquus.*

§. 12dus.

ISsedonibus, *Argipæi* succedunt. Ab Ortu *Halizones*, atque *Budinos* à Septemtrione *Jyrcas*, ab Occidente *Peucinos* à Me-

(e) *Florus Hist: Lib 3. Cap: 4.*
(f) *Livius Lib. 23. & 24.*
(g) *Silius Ital. 13. 481.*
(h) *Gelius L 30. apud Priscian: L. 7 Pag: 239 Sene: in Thyeste V. 453*
(i) *Procopius. Lib. 11. Tacitus de Mor: Germ: Cap. 9.*
(k) *Herodotus Lib: 1. Cap: 202.*
(l) *Plinius Lib. 6. Cap. 7.*

Meridie *Poratam* sive *Prut* fluvium pro limitibus habentes, ubi nunc *Krzemieniec, Zbaraz, Bazalia* &c: subsistunt. Ad radices excelsorum Montium habitasse dicuntur. Homines à natura calvi asseruntur, simis naribûs, ingenti Mento, Scythicam vestem portantes Ex Arbore quadam victum habebant, cui nomen *Ponticon* ex cujus fructibus (qui formam fabæ referunt) postquam maturuerint succum percolant, quod nigrum defluit, *Aschy* dicunt. Ex fæcibus massam faciunt; succum ipsum cum lacte lingunt, sub arboribus habitant, quas pileo albò hyeme tegunt. His, nemo hominum injuriam facit, imo ipsi finitimorum controversias dirimunt, nihil armorum retinendo, exules advenas recipiunt, qui apud eos tuti manent. Quia verò Regio plana est, ad eos à Borysthene, & Ponticis emporijs, negotiatores confluunt. Jta Herodotus. (m) Hæc omnia huic parti Palatinatus Volhyniæ congruunt (si unicam quandam deformitatem mentorum nasorumq; tollas) Si namq; omnis Populus simis naribûs, & prominente mento fuerat, id forte statim ab incunabulis Parentes prolibus faciebant, fracta tenui carthilagine nasi, & molli osse menti adstrictò sæpius. Nam & Armeni in Persia frequenter id faciunt suis filiabus ut immunes servent à lascivia Persarum. (n) Et apud Chinenses capitis verticem in dodrantem efformant pauperes mendici, suis filiis. (o) Calvos dicit Herodotus, quod omnes raderent capita, etiam parvuli, cùm alij Skythæ minimè fecerint dequibus Ovidius. (p)

Argipæorum mores.

Cur calvi dicuntur.

> *Sæpè sonant moti glacie pendente capilli*
> *Et nitet in-ducto candida barba gelu.*

Con-

(m) *Herodotus Lib: 4 Cap: 23.*
(n) *Krusinowski in Prodromo Belli Persici circa med.*
(o) *Bernard. Piccard Tom. 2. Par: 2. Differt sur les Ceremonies des Peuples de la Chine.* (p) *Ovidius.*

Constat autem relationem antiquorum de rasura capillorum non verò de pura calvitie intelligendam esse, ex ipsiusmet Herodoti narratione. Etenim puellæ quas hyperborei miserunt *Delos*, rasis Capitibûs, ministrabant in Sacris Quibûs defunctis, alij pueri, puellæq; in locum prædictarum successerunt: non prius tamen, quam depilato ex integro Capite. Quia veró *Aristeas Proconessus*, apud Jssedonos commoratus fuerat, & de ulterioribus Hyperboreis ea, quæ vel vidit, vel audivit in Græcia narrabat, Facillimè de *Argipæis* retulit; eos capita decalvare, sive deradere: Quæ relatio crudiùs accepta, pro pura calvitiè successu temporis est judicata. *Nicolaus Loydius* è contra non de calvitie hominum supponit dictum, sed de candore equorum, a quorum abundantia circa Paludem Hyppanis, homines quoq; *Argipæi* sive albi sunt apellati. (Hyppanim autem hic incipere circa *Krasilow* probavi superius) (q) Jdeo verò ab equis denominatio transiit ad homines, quia apud Scythas equi albi in magno pretio fuerunt, & sunt adusquè. (r) Imò præstantissimi judicabantur etiam apud Romanos, iisq; in triumphis utebantur. (s) Horum equorum cõémendorum gratiâ, varij mercatores huc concurrisse dicuntur. Plinius expreßsè, dicit de rasura capitis, *Arimphæos* vocat, Montes autem supponit esse extremos *Riphæorum*. En verba illius: *Arimphæos quosdam accepimus, haud dissimilem Hyperboræis Gentem, sedes illis nemora, alimenta, baccæ, capillus juxta fœminis, virisq; in probo existimatur; ritus clementes, Jtaq; Sacros haberi narrant, inviolatosq; esse, etiam feris accolarum Populis, nec illos modò, sed illos etiam qui ad eos perfugerint.* (t)

Hyppanis Boh.

(q) *Vide hic Far: 3. Cap: 11. §. 14*

(r) *Her: L. 4. C. 33. Paulus Venetus. L. 1. C. 65 & Lib: 2. C. 15.*

(s) *Livius Lib. 5. Cap: 33. Plutarch: in Camillo Bochartus Hierozoic: P. 1. Cap, 7. Lib. 2.* (t) *Plinius Lib: 6. Cap: 13.*

Succus arboris qui fuerat. Arbor & fructus ex quo ſuccus exprimebatur, & coagulabatur, non alia eſt niſi *prunus*, ex qua etiam nunc eundem ſuccum coquunt Jncolæ, diu in vaſis aſſervabilem, *Powidła* communiter apellatur. Priores autem ſubtiliori ſucco decolato, ex fæcibus placentas conficiebant ſiccabantq;, ideo dicebatur *Uſchły*, *ſuccus ſiccatus*, quòd Græci exprimere non valentes; pro *uſchły*, *aſchy* ſubſtituerunt. Frant autem placentæ hæ ſimiles illis, quæ in Ægypto & Syria conficiebantur; in globos maſſam redigendo. (u) De quibus forte Statius. (w)

Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atq; Cottanorum.

§. 13tius.

Pileis tectæ Arbores, non aliæ, niſi communes Caſæ fuerunt, ſtramine, vel arundinetò contectæ, ſub tempus hymis, à nive decidua magis albeſcentes. Id confiirmari poteſt ex Seneca dicente: *Quidquid circa Jſtrum vagarum Gentium occurrſat. Perpetua illos hyems, triſte Cœlum premit, malignè ſolum ſterile ſuſtentat, imbrem culmô, aut fronde defendunt.* (x) Quod autem ſubjungit Herodotus, infra montes in acceſſibiles manere *homines Capripedes*, id quidem verum eſt, non in ſe, aſt ex quadam ſimilitudine traductum. Certe Montes Cremenecenſes verſus *Oſtrogum*, & ultrà, per longum tractum tendentes nunc pervii ſunt. Verùm cum hæc Regio minus culta fuerat, intra prærupta montium ſylvis horrida, non quivis auſus fuerat deſcendere.

Capripedes homines. Quià verò homines illli, ad arcendúm frigus peronibús non de-

(u) *Athenæus Lib 2. Theophraſtus. Hiſt: Lib. 4. Cap: 3.*
(w) *Statius Lib: 7. Sylvar 9. ỳ. 27.*
(x) *Seneca Lib: de Providentia Cap: 4.*

deraſò pilò calceabantur ex pellibus caprarum ſylveſtrium, quibus montes etiam nunc abundant, eosdem perones accomodando; à peregrinis villoſos, pedes, ad inſtar caprarum habere credebantur. Sctoſis namq; peronibus antiquos uſos fuiſſe, teſtis eſt Apollinaris. (y) Et *Hernici* Italiæ populi ſic calceabantur (z)

Veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis, crudus tegit altera pero.

Habitaſſe verò Argipæos circa Cremenecum inde colligo. Quod Herodotus affirmet ab *Jyrcis*, & vicinis Scythis, niſi magnò transmiſſò ſpatiò, ad eos deveniri poſſe. Item, quòd ad excelſorum montium radices habitarent. (a) quod (juxta *Lloydium*) dicerentur Calvi, vel albi, non ipſi, ſed ab equis, circa Hyppanis fontem errantibus, ſive a raſura capitum. Quæ omnia, ut pote; diſtantia, montes, & fons hyppanis, huic oræ plus, quàm alteri conveniunt.

Hic etiam circa *Lüceoriam* (nobis *Luck*) locat *Alaunos Ludovicus Decius* ſed Ptolomæus *Alaunos* (diverſos ab *Alanis*) ponit in *Norico*. Ubi nunc eſt pars Styriæ, & Archiepiſcopatus Salisburgenſis: quod confirmat *Sanſon*.

§. 14tus.

ULtra *Argipæos*, longò interjectò ſpatiò, habitaſſe *Arimaspos* vix auditu percepit Herodotus, Hi aurò divites fuiſſe credebantur. (b) *Auroq; ligatas*
Subſtringens Arimaspe comas.

Sed

(y) *Sidonius Apollinaris Lib.* 4. *Ep:* 20. *Paulus J.C. L.* 3. §. 3. *Offic. præf. Vigil Bohetius Hiſt Scoticæ Lib:* 14. *pa.* 308.
(z) *Virgilius Æneid. Lib:* 7. ℣. 686.
(a) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 23.
(b) *Lucanus Lib:* 3. ℣. 280.

Sed pro illo, & carbunculis; perpetuum bellum cum Gryphibus gerere cogebantur (ut finxit *Aristeas.*) (c) Hi *Cacidares* dicebantur. (d) ad distinctionem *Arimasporum* Asiæ, qui exercitui *Cyri*, in extrema fame succurerunt. Et *Evergetæ* sunt apellati, in magno honore a *Cyro*, & *Alexandro Magno* habiti.. (e) Isti namq; (de quibus nunc tractamus) extremi Europæorum Scytharum credebantur, ultra quos soli Hyperborei habitant, usq; ad Mare extensi, sed quos nemo adire poterat; propter continuò decidentes plumas (id est nives cadentes) (f) *Arimaspi* dicti sunt monoculi. Nam *Arima* (inquit Herodotus) apud Scythas *unum* significat. *Spu* verò *Oculum* sed nomen hoc compositum est, ex tota propositione Slavonica *A nie ma spy*, sc: *& non habet oculum* Oculus namq; antiquis Slavis *spa* dicebatur in singulari, *spy* in plurali derivatione sumpta à verbo *spię*, *dormio*: quòd à dormientibus oculi claudi soleant. Quod enim nunc *oculus*, Polonice, *oko* dicatur, duo inferri possunt. Aut primitivum nomen esse, antequam lingvæ minus quam nunc differebant, & latinum idioma cum Slàvico conveniebat. (ut probavi supra) (g) Aut, politiori sæculò, ex latino idiomate intra Polonica nomina acceptatum fuisse, quod ipsa analogia oculi cum *oko*, persuadet. Monstrosos homines quidam putaverunt unum oculum in frontis medio habentes. (h) Verum falsa erat, & rudis, imaginatio, cùm utrumq; (æq; ac alij) haberent sed cùm sagitarij essent præstantissimi, a juventute in hac

Arimaspi monoculi.

Qualiter id intelligendum.

ar.

(c) *Strabo Lib*: 13. *Plinius Lib*: 1. *Cap* 2.
(d) *Plinius Lib*. 6. *Cap*. 17.
(e) *Diodor*: *Lib*. 17. *Sab*. *Ænni*. 4. *Lib*. 3.
(f) *Herodotus L*. 4. *Cap* 13. *&* 27
(g) *Vide hic Int*: *Oper Par*: 3. *Cap*: 5. §. 14.
(h) *Plinius Lib*: 7. *Cap*: 2.

arte exercebantur, utq; facilius ſcopum attingerent, unam palpebram deprimebant, ut ſecurius ſcopum attingere poſſent. Sicq; aſſveti, ſi intenſius aliquod objectum reſpicerent unò oculo clauſò, alterò intuebantur, ideo monoculi apellati ſunt. *Æſhylus* propterea illos vocat *Monoculum Exercitum*. *Antimachus* putat Arimaspos eosdem eſſe cum, Hyperboreis, Herodoti, & Plinij. *Damaſtes*, (i) poſt Scythas ponit *Iſſedones*, infra illos verò locat *Arimaspos* deinde, *Montes Riphæos*, tandem *Hyperboreos*. Strabo opinatur *Homeri Cyclopas* monoculos, cum Airmaſpis eosdem eſſe. Hyperboreos autem multi credunt *Jnugros* & *Vogolicos* fuiſſe. Quibus vicinos ponit Baudrandus *Arimaspos* illosq; in Moſchovia in Ducatu Novogrodenſi, & Pleſcovienſi locat. *Sanadon* eosdem cum *Samojedis* putat in 1ma & 2da parte Dictionarij. Ego illos colloco *Jyrcis* ab ortu, *Budinis*, ac *Argipæis* à Meridie, *Jazigibus* a Septemtrione, Collimitaneos, ubi nunc *Pinſk*, *Orly*, *Dąbrovica* &c. Nam & genius in ſucceſſoribus idem manet, qui ſunt optimi Sclopetarij. Et ea quæ ab Herodoto narrantur, illis optimè conveniunt. Sunt enim ex notis antiquitus Gentibus, in Europa maximè ſeptemtrionales, ac majoribus frigoribus expoſiti. Excipio fabulam de auro, & gryphibus: Nullibi enim hæc inveniuntur, ſed avaris, & cupidis, ſi quæ aditu difficilia, occultabantur, prima cogitatio occurrebat, forte ibi divitias latere.

Arimaſporum Regio.

§. 15tus.

In Orientem nunc redeo, ubi nonnullos adhuc Populos reliqueram. Supra *Iſſedones* ergo habitarunt *Budini* verſus ſeptemtrionem, ab ortu *Boryſthenem* & *Scythas Nomadas*, ab Oc-

(i) *Damaſtes. Lib. de Gentibus.*

Occidente *Argipæos*, à Septemtrione *Arimaspos*, *Jyrcas*, & *Sarmatas* habendo: ubi nunc *Kijow*, *Czarnobyl*, *Owrucz*, *Berdyczow* &c: ſubſiſtunt. (Maximam enim ſortem inter Scythas poſſediſſe eos dicit Herodotus) Domos ædificabant, ac Urbes: Jnter quas præcipua fuerat *Gelonus* (ſuppono *Kijoviam* modernam quam, veteres, etiam *Amadocam* dicebant) muris ligneis cincta, quorum ſingula latera trecentorum fuerê ſtadiorum. (k) Congruere videntur huic amplitudini, aggeres vetuſtiſſimi, in longum protenſi, qui uſq; hodie conſpiciuntur remoti a moderna Civitate *Kijow*: Aliam Civitatem in hac parte Sarmatiæ ponit N: *Sanſon Azagarium*, dictam, quæ correſpondet Civitati modernæ *Czarnobyl*. Hi Budini Græcis commixti, eorum, mores imitari non detrectabant. Ædes autem, tàm Sacras, quam profanas ex ligno ædificabant, ritus etiam plerumq; Gentiles (præcipuè Græcorum) ſervabant. Regio tota, arboribus erat conſita, lacus magnos habens, ubi lutres, Caſtores, aliæq; feræ capiebantur. Jnter eos Græci habitarunt, qui & *Geloni* apellabantur (diſtincti ab illis qui ad occidentale latus Ponti manebant) hortos colentes, & Agriculturæ vacantes. (l) Portionemq; Terræ Budinorum poſſidebant unde Horatius. (m)

Budini ab ædificando dicti.

Jntraq; præſcriptum Gelones
Exiguis habitare Campis.

Hi certò certius hic ubi eos locamus habitarunt. Etenim omnia prædicta huic Regioni conveniunt, usq; hodie. Arborum enim, frumenti, ac hortorũ cultura, ibi ab antiquo viget. Lutrorum & Caſtorum præcipue circa *Ovruciam* in Paluſtribus magnus numerus, arborum tàm Sylveſtrium, quam mitium, in-

Locus habitationis eorum.

(k) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 104.
(l) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 21. & 108.
(m) *Horat: Lib:* 2. *Carm: ode.* 9. *V.* 23.

ingens copia, præcipuè in Polesia quæ tota sylvescit, licet circa *Berdyczow* patentiores sint campi, & dumetis solum, ac hortis distincti. Confirmat id *Plinius*, qui Budinos circa Borysthenem habitasse dicit. (n) Pingebantur Glaucô, cæruleô, vel rufo colore, unde de his forte Gelonis Virgilius. (o)

Pictosq; Gelonos.

Verum ex Herodoto solum colligitur illos fuisse omnes multum cæsiis oculis, & crine rufo. (p) Budini autem ex Slavonico dicti sunt, nam *ligno extruere, buduię, ædes lignea, Budynek, tugurium, buda dicitur.* Et constat Darium in terra *Budinorum* ligneum Castellum à Budinis derelictum incendisse. (Q) Nec tamen mos ædificandi domos, imò, murô extruendi, sic Budinis erat proprius, quin aliæ quoq; Gentes Scythicæ id fecerint; quibus & agricultura grata fuerat, & diuturna quies. Nam Ovidius testatur, erga se gratum animum Getarum aliorumq; Populorum, qui per singulos pagos, & oppida, illius effigiem cæra factam habebant, & honore prosequebantur, (r)

Nec mihi credideris? extant decreta, quibus nos
Laudat: & immunes publica cæra facit
Conveniens miseris hæc quanquam gloria non est
Proxima dant nobis oppida munus idem.

Hi forte sunt iidem Populi, quos *Gvagninus Drewlanie, Lignatores* apellitat, quòd lignô domos ædificassent. Et convenit nomen cum *Budinis.* Multa bella gerebant cum Olbipolitis & Nomadibus, seu Kijoviensibus Russis. (s) Unde probabilius hic locantur, quam cum *Długosso* in Pomerania. (t) Cum ipsemet eos in vicinia Kijoviæ manssisse aliquando innuat. (u) *Budini iidem qui & Derewlani.*

(n) *Plinius Lib:* 4 *Cap:* 12.
(o) *Virgilius Georg: Lib.* 2. ℣. 115.
(p) *Herodotus Lib.* 4 *Cap* 108. (q) *Herodotus Lib.* 4. *Cap:* 123.
(r) *Ovid: de Ponto Lib* 4. *Eleg:* 9. ℣. 101.
(s) *Gvagn. Hist: Sarm: L.* 3 *Par* 1 (t) *Długosz Hist: Pol: L.* 1 *pag.* 45.
(u) *Długosz Hist: Polon: Lib.* 1. *pag:* 49.

§. 16tus.

Alteram Ripam Borysthenis occupabant, *Scythæ Nomades* sive *Pastores*, ab Oriente habendo. *Scythas Basilides*; a Septemtrione, *Auchautas*; ab Occidente, *Borysthenem* atq; *Budinos*; à Meridie; *Calipidas*, & *Olbipolitas*. Eorum locus ab Herodoto ita discribitur. *Neq; serentes quidquam neq; arantes. Nuda autē Arboribus est omnis hæc plaga, præter Hylæam. Nomades autem isti incolunt spatium quatuordecem dierum itineris, auroram versùs, ad, Gerrum usq; flumen. Trans Gerrum autem ea quæ vocantur Regia, & Scythæ optimi, pariter & plurimi, & qui, suos servos cæteros esse Scythas arbitrantur. A meridie quidem ad Tauricam Regionem pertinentes, ab Aurora verò ad fossam quam duxerunt illi qui à Cæcis geniti fuerant: & ad emporium paludis Mæotidis, quod vocatur Cremni sed eorum alia, ad flumen Tanaim porriguntur.* (w) Jdeo verò Pastores dicti quod greges Pecudum alerent, propter abundantiam pascuarum ad ripam Borysthenis, ubi gramen succosissimum crescit, & ipsa aqua limpidissima, ad potandum svavissima fluit. (x) Ab his Scythis *Cimmmerij* ex insula quæ nunc *Crimea* dicitur, ejecti sunt. (y) Jn tentoriis habitare consveverant, centonum instar, tectoria intexendo multi, ex tabulis & cratibus. (z) Pauperes fuerant, nec ullas divitias quærebant. Omnia communia habentes (si Alexandro credimus) etiam uxores, ac filios; præter ensem, & Cyathum. (a) *Panticapeos* à Georgis disterminari dicit Plinius, a Basilidibus *Gerrho.* (b) Sunt alii pluri-

(w) *Herodotus Lib:* 4. *Cap:* 19. & 20.
(x) *Herod. Lib:* 4. *Cap.* 53. & 58 *Vide etiam hic Par.* 3. *C.* 11 §. 10.
(y) *Herodotus Lib.* 1. *Cap* 15 *Vide etiam hic Par.* 3 *C.* 10. : 14.
(z) *Polyænus* L. 8. (a) *Alexander, ab Alex: Lib.* 4. *Cap:* 1.
(b) *Plinius Lib.* 4. *Cap:* 12.

rimi populi sub agnomine *Nomaduni*, ut pote in *India*, *Persia*, *Arabia*, *Numidia* &c: sed præter nomen in genere cum his minime conveniunt.

§. 17mus.

Nomades sive Pastores Scythæ.

N*omades*, sarmatæ, tàm à Septemtrione, quàm ab Oriente cingebant, cum usq; ad Tanaim extenderentur. (c) Amplius extensos vult *Sanadon* in Dictionario Geographico & occupasse, quidquid est inter *Dnestrum*, *Volgam*, & *Tanaim*. Quod intelligendum de primis eorum sedibus, nam postea Scythas superantes numero, vel æquantes, unum populum effecerunt de quibus jam sat fusè dictum. (d) diceturq; sequentibus. Hic eos locare videtur *Plinius*, & Amazonum Gentem, vel potius filios dicit. (e) Alibi verò dicit, eos manere supra Borysthenem, decem dierum itinere, & solum tertiò die cibum sumere solitos fuisse. (f)

Lipkowie unde dicti

Auchautæ, Sarmatis ab Occidente, & Meridie; *Melanchlænis* à septemtrione, *Androphagis* ab Oriente, cohabitabant. Scythæ quoq; fuerunt antiquissimi suæ Gentis, ut pote à *Lipoxaj* nepote Jovis (juxta fabulam antiquorum) procedentes, (g) à quo forte Progenitore illi orti sunt qui ultra *Wolgam* habitarunt: hocq; nomine à cæteris distingvebantur. Cum autem *Witoldus* Magnus Dux Lithvaniæ, illas oras vastasset, captivas integras hordas istorum Tartarorum in Lithvaniam transtulit, illasq; Pagatim disposuit, cum uxoribus, & Liberis. (h) Hi igitur nunc quoq; manent quandam analogiam

(c) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 21. & 116.
(d) *Vide hic Par.* 3. *Cap.* 11 §. 3. *seqv.*
(e) *Plinius Lib.* 6. *Cap*: 13. (f) *Plinius Lib.* 7. *Cap.* 2.
(g) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*: 6.
(h) *Kojałowicz Hist*: *Litv. Par.* 2. *Lib.* 2. *ad An*: 1397.

antiqui nominis servantes & pro *Lipoxai*, *Lipki* dicuntur. Qui facilius Tartaris commiscentur; mutantq; sedes, alii accedendo, alii recedendo. Ex Plinio autem colligo *Auchatas* sive *Auchetas*, hic mansisse (licet erret, dicendo Hyppanim apud eos oriri.) (i) Sed notabilis eorum pars Borysthene transito, versus Mæotim processerat, unà cùm *Suttis*, *Satarneis*, & *Asampatis* ibiq; viritim deletis *Nepheonitis*, & *Tanaitis*, regionem impleverat. (k) A supervenientibus Tartaris Machumetico phanatismo infecti; ad primas Sedes in Lithvaniam reducti sunt, sed jam nil ex pristinis moribus retinentes, præter artem capiendi homines retibus, & rapto vivendi. Cujus artis Retiariæ meminit Valerius. (l)

Doctus Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, & extremas laqueis abducere turmas

Ex altero latere Sarmatarum *Jyrcæ* manebant. *Arimaspos* ab Occidente *Budinos* à Meridie, *Sarmatas* ab ortu, habebant. *Jyrcæ venatores.* Venatores præstantissimi, equos in ventrem procumbere docuerunt, ne feræ terrerentur ipsi, ex proceribus arboribus, postquam vagantem feram sagittâ petissent, equum illicò conscendebant, & allatrante cane, persequebantur, donec profuso sangvine illa langvesceret. *Ad hos usq; Scythas* (inquit Herodotus) *Regio omnis Scythica est campestris, ac profundi soli, reliqua de hinc, lapidosa, atq; salebrosa.* (m) Nec melior descriptio fieri potuit Polessiæ, & Partis Russiæ albæ circa *Mozyr*.

§.

(i) *Plinius Lib.* 4. *Cap.* 12.
(k) *Plinius Lib.* 6. *Cap:* 7.
(l) *Valerius Flaccus Lib.* 6. *V.* 132.
(m) *Herodotus Lib.* 4. *Cap:* 22.

§. 18vus.

Melanchlæni ultimi sunt, quorum meminit Herodotus. Hi Sarmatarum ab Occidente, *Auchatarum* a Meridie, Collimitanei. Mores plures ab *Androphagis* (qui illis Orientales fuerunt) traxerunt. Omnes vestibus nigris utebantur, & ab illis *Melanchlæni* sunt apellati. (n) Carnibus humanis eos vesci solitos, narrat Herodotus, (o) in quibus cum Androphagis, ac Jssedonibus conveniebant. *Dio* propè Borysthenem eos locat. (p) Dionysius ab *Alanis* non longè distare scribit sed ab eo dicuntur, (q) quod & *Alanis* Homerus (r) *Calimachus* Cimmeriis adscribit. (s) De Sarmatis idẽ tradit *Martialis*, (t) qui lacti sangvinẽ equinum admiscebant. *Venit & epotô Sarmata pastus equo.* Sed hæc mixtura fermè omnibus Scythis pro communi potu serviebat. Hactenus, enumerantur ab Herodoto Populi, has oras quæ ad Poloniæ Dominium nunc pertinent quondam inhabitantes. Præter *Ascanitas*, *Alanos*, *Axiaces*, *Carpinaos*, *Peucinos*, qui ex aliorum testimonio non frivolè adduntur. Quosdam etiam conjungimus Populos, ut *Aratores*, *Agricolas*, *Alazones*, *Tyritas*, *Tyrangetas* &c. Videnrur etenim aut parvas admodum colonias occupasse, aut cum adductis, prorsus convenisse. Alios, uti *Umbricos*, *Cobryzos*, *Athres*, *Neos*, *Artanes* &c. prætermitto cùm hi extra limites nostros habitarint & pa- rum

Scythæ lacte & sanguine equino vivebant.

(n) *Mela Lib. 2. Cap: 1.*
(o) *Herodotus Lib. 4 Cap. 107.*
(p) *Dio. Chrys: in Borysthenit:*
(q) *Dionysius ℣. 309.*
(r) *Homerus Iliade. N.* (s) *Calimachus Hymno. 3.*
(t) *Martialis Lib. de spectaculis Ep: 3. ℣. 4 Plin: L: 18 C. 10.*

rùm illustrandæ Historiæ *Polonæ* conducant. Hoc unum animadverti cupio, non multum nos angere, quod plures ex prædictis Populis ad Pontum locentur, quos justis rationibus à ponto parumper removeo. Si enim omnes littora Euxini possedissent, quos Authores Ponticos appellant, terra familias, non autem Populos vix contineret. Pontici autem dicti sunt, non, quod immediaté ad Pontum habitarent; sed quod ad Regnum Ponticum (*Mythridatis* præcipuè) aliquando pertinerent. (u) Quemadmodum *Istrij* dicti sunt, non quod ad *Istrum* habitarent (cùm pateat illos semper ad Mare Adriaticum mansisse) sed quod ab *Æete* Rege missi ad Argonautas persequendos, ex *Ponto* in *Istrum*, deinde in *Savum* prætervecti, cùm non assequerentur fugientes, sive metu Regis, sive tædio longæ navigationis, in hoc littore consedissent. (w) Quia verò principalis eorum navigatio, per Istrum est instituata, ideò, licet postea ab ipso elongarentur *Istriorum* tamen nomen retinuerunt. Jta pariter de antiquis Scythis judicandum, illos denominationem aliquando sumere, à *Tanaj*, *Istro*, *Borysthene*, *Mæoti*, *Ponto*, non quòd ibi fixas sedes haberent; sed quod aliquando, vel ibi mansissent, vel inde frequenter excurrerent. Hic autem sedes magis fixæ eliguntur.

Animadversio opportuna.

Denominatio non arguit sedem Gentis.

§. 19nus.

Hæc verò sunt motiva quæ me urserunt ad collocandos tali ordine Populos Scythiæ *Primò*, quod Herodotus, *Callipidas*, *Halizones*, *Aratores*, *Neuros* supra *Hyppanim* locet,

Confirmantur dicta superius.

(x)

(u) *Vide Florum Lib.* 3. *Cap*: 5. & *Lib*: 4 *Cap* 12. *Tacitum Annal. Lib*: 2. *Cap*: 56. & *Lib* 3. *Cap* 13 & 4. *Cap*. 36. & 12. *Cap* 15. *Vellejum Paterculum Lib*: 2. *Cap*: 18. *Gellium*. *Lib*. 17. *Cap*: 17 *Plutarch in Sulla Lucullo Pompejo*.

(w) *Justinus Lib*: 32. *Cap*. 1.

(x) autem *Supra* æq; denotat superiorem fluminis Regionem, quàm etiam, ipsa littora fluminis. Unde etiã illos Populos partim in superiori continente, partim ad flumen habitasse dico. *Neuros* autem cum supra Tyram habuisse sedes affirmet, (y) idem ego facio. *Secundò* quod *Aristeas* apud *Issedones* didicerit, hos ab *Arimaspis*, ab ipsis autem *Cimmerios* fuisse vexatos. (z) Conveniens ergo est *Arimaspos* & *Issedones* ita collocare, ut se vicissim adire possint, & *Cimmerios* faciliùs accedere, quod ab Occidente melius, quàm ab Oriente vel Septemtrione, succedere poterat juxta dicta. (a) Plinius quoq; ultra *Argipæos* sive *Arimphæos* ita Gentes collocat. *Ultra eos plane jam Scythæ Simmerij* (forte Cimmerij) *Ciciani, Georgij* & *Amazonum* gens. (b) *Tertiò*, quia dum impugnabat *Darius* Scythas, venit per Bosphorum Thracicum, & variè deflectens, in sequendo Scythas errantes, postquam *Budinorum* Civitatem ac ædes incendisset, ibi constitit, ubi Lycus & *Tanais* fluit. Scythæ autem illi occurrentes, ac fugientes; deduxerunt in eorum terras, qui illis arma sociare noluerunt. Et quidem, primo in Terram *Melanchlænorum*; deinde: *Androphagorum*; postea *Neurorum*; & ultimò *Agathyrsorum* venerunt, omnes hos *turbando & secum* bello Persico implicando. (c) Vide igitur quomodo Scythæ girando huc atq; illuc vexaverunt Persicum Exercitum. Revertentium autem iter considerando, approbabis, Gentes prædictas non alias oras inhabitasse, nisi ut hic à me ponuntur. *Maxime exposita Danij.*

§.

(x) *Herodotus Lib.* 4. 17.
(y) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 51.
(z) *Hebodotus Lib.* 4. *Cap.* 13.
(a) *Vide hic Par:* 3. *Cap.* 10. §. 13.
(b) *Plinius Lib* 6. *Cap.* 13.
(c) *Herodotus Lib.* 4. *à Cap.* 118. *usque* 132.

§. 20mus.

Licet autem mihi pro certo constet, prædictas Gentes Scythicas in his oris mansisse, & illarum progeniem (mutato nomine) nunc manere: attamen quo tempore coli cœperit hæc Regio, nullatenùs determinari potest. Sufficit, brevi post dispersionem Gentium posteros Noé huc venisse, cùm jam tempore Ezechielis Prophetæ particulares familiæ, in unam Gentem *Russorum* coalescere cœperint. Qui enim Russos à *Russo* Fratre, aut Nepote *Lechi* deducunt, illi prorsus errant, (d) cum ante Lechum Nomen Russorum notum fuisset. DEUS permittens deprimere Gentes robustas quæ fidelibus minaturæ sunt, dicit: *Ecce Ego super te Gog Principem Capitis Mosoch & Thubal*, (e) quod apud LXX. legitur *Principem, Ros Mosoch, & Thubal*. Et certe in Hæbraico ponitur *Ros*, quod licet frequenter sumatur pro *Capite*, frequentius tamen, *Principatum* significat, (f) Emphaticè autem sumitur, pro re aliqua præstantissima. (g) Nisi autem eo tempore quando instituta est hæc lectio, *Russorum* Principatus notus fuisset, non proprium *Ros*, sed communem terminum, *Caput*. LXX. Interpretes posuissent. Certè planior est sensus, *Gog* Principem fuisse Populorum *Ros*, *Mosoch* & *Tubal* quàm dicendo, ipsum esse *Principem*, *Principis Mosoch & Thubal*. (h) Sed dices forsitan. Ezechieli prorsùs ignotam fuisse Russiam, cúm juxta dicta, (i) nec Europæ Sacri codices meminerint. Per-

Russiæ antiquitas.

Probatur Ezechielis Prophetiam fuisse de Russis.

(d) *Dlugosz, Hist: Polon L. 1. Paprocki Horti: Reg. Par. 3. Miechovtia Lib. 1.* (e) *Ezech. 39 ℣. 1.*
(f) *Vide Buxtorfium in Lexico Hebr: Rabbin. ver.*
(g) *Exodi 30. ℣. 23. in Hebr.*
(h) *Vide Calmet in Gen: 10 ℣. 2.*
(i) *Vide hic Par. 3. Cap. 10 §. 2.*

Permitto quidem, *Russiæ* Oram forte latuisse Judæos, quibus loquebatur DEUS per Ezechielem: Populum tamen ignotum minime fuisse dico. Etenim regnante *Amon* Rege Juda, apud Medos imperante *Phraorte*; in *Lydia Ardys*, in Egypto *Psammiticho* uno ex duodecim Ducibus. Cimmerij à Scythis pulsi, utriq; Asiam pervagati sunt. Et illi quidem *Sardes* cæperunt. Hi verò totius Asiæ Imperium occuparunt, & eo tempore, quando Ezechiel in Babylone concionabatur plurima bella cum Medis habuerunt. Quando verò Judæi in captivitatem per Assyrios ducti sunt Babylonem, eo ferme tempore Scythæ Mediam incolentes transfugerunt ad *Alyattem* Lydum (k) Igitur qui vulgari nomine apud profanos authores dicebantur Scythæ: Ezechieli, & Judæis, ex nomine proprio *Russorum* noti fuerant. Quod patet etiam ex inde; quia ab Herodoto & aliis, res *Medorum*, *Persarum*, *Ægyptiorum* *&c*: describentibus, nec *Ros*, nec *Tubal*, nec *Mosoch* commemorantur, quæ Gentes apud Ezechielem reperiuntur. Licet tàm Ezechiel quàm præfati Historici ejusdem temporis, aut gesta conscribebant, aut gentes tunc florentes commemorabant. Quod igitur profani Scriptores, sub nomine generico annotarunt, id Ezechiel prophetiæ suæ inserendo, eorundem Scytharum gentes nonnullas, explicitè posuit, uti hic *Russos*, *Moschos*, *Thubalos*, quæ appellationes Gentium nisi eo tempore notæ Judæis & aliis Orientalibus fuissent, frûstra, ignota pro certis proponerentur. Igitur Ezechielis tempore *Russi* inter Scythas Europæos optimè noti fuerant. Hæc vero disconvenientia inter Authores Sacros & profanos non semel occurrit, vel

Aliqua Gentes Russorum notiores in Asia.

(k) *Confer*: 4. *Reg. Cap.* 24. 25. 31. & 2. *Paral.* 36. *Jerem. Cap.* 25. 29. *Dan. C.* 9. *Cum Herodot: Lib* 1. *Cap.* 6. 15. 16. 17. 73. 103. 104. 106. & *Lib* 2. *C.* 2. 28. 151. & *Lib.* 4. *Cap.* 1. 11. & *Lib.* 7. *Cap*: 7. 20. *&c.* & *cum Justino. Lib.* 2. *Cap.* 3. *seqv.*

ideo quod quivis ſuo itinere procedens, alius hoc, alius illud animadvertit. Uni videtur neceſſario inſerendum, quod alius prætermittendum judicat. Jta Authores Libri Primi, & Secundi Machabæorum, prælia Jſraelitarum & Antiochi deſcribunt accurate. Jdem mox Joſephus præſtat. Horum tamen nec meminit quidem Polybius, coævus Scriptor. Ratus ſufficere ſibi de præliis Aſiaticis ea referre, quæ ad bellum *Cæle-Syriacum*, inter *Ptolomæum Philopatrem*, & *Antiochum Magnum*, pertinebant. Quæ vero huic bello non connectebantur prætermiſit. Neque tamen veritati Hiſtoriæ Sacræ, per hoc quidpiam detrahitur. Jta ad propoſitum, dicimus: de Ruſſia, mentionem feciſſe Ezechielem, cujus profani Authores non meminerunt. De Scytharum Europæorum excurſione in Aſiam minime innuere Ezechielem, quam Herodotus, Juſtinus, ac cæteri deſcripſerunt. Si tamen diligenter omnia combinet peritus hiſtoricus, neutros ſibi contradicere fatebitur, ſed alios Univerſale Gentis nomen exprimere, alios Provincialium turmarum ſive Copiarum appellationes, referre: inveniet.

Ergo Antiquitati Gentis Ruſſicæ faviſſe Scripuram, & Veteres Authores, non negandum, cui aſſertioni ſuffragantur antiqua monumenta in Ruſſia, quæ hanc appellationem non eſſe novam teſtantur. Et enim in Palatinatu Kijovienſi fluvius *Ros* fluit circa *Wołodarka*, *BiałaCerkiew*, *Bohuſław*, *Korſuń*, *Międzyrzyc*, infra *Kaniow* in *Boryſthenem* influens. Et *Reſſow* Civitas cum ſuo Ducatu, ubi fontes ſunt Boryſthenis, in Moſchovia, eſt antiquiſſima, alia ſimilis huic *Reſſow* in Palatinatu Ruſſiæ, Terra Premyſlienſi. *Roſance*, ſive *Roſone* in Beſſarabia, *Roſiena* Oppidum inſignius in Samogitia. Unus etiam Alveus *Crononis*, ſive *Niemen* fluvij, in Livoniam declinans, *Roſſa* antiquitus nominabatur, & plures aliæ ſimiles appellationes antiquitatem Gentis ejusq; denominationis ſvadent. (l) Ruſſiamq; non à Ruſſo Lechi Fratre, ſed aliunde trahere nomen oſtendunt.

Antiqua denominationes à Ros deducta.

(l) *Vide Calmet in Genes.* 10. ℣. 2.

§. 21mus.

Russia ergo à sola multitudine Populorum ex Slavonico sic dicta fuerat, quod Populi per magnam orbis partem essent dispersi. Nam *Rozsiewa* Slavonicè *sementem sparsam* significat. (m) Unde omnes Scythæ ab Oceano glaciali, usq; ad Mare Adriaticum rectè dicebantur *Rozsiani*, id est dispersi. Ex quibus pullularunt nomina *Russiani*, *Rusini*, *Rusnacy* &c. Hinc etiam à Græcis *Sporami* dicti sunt à *Spargo*, quòd dispersi essent per orbem. Meminerunt *Ruthenorum* sive *Roxolanorum* Authores, *Ptolomæus*, *Plinius* &c: qui ante Lechum vixerunt. *Roxolani*, Sarmaticæ Gentis, in *Mæssiam* irruperunt, duasq; Cohortes Romanorum exciderunt, licet & ipsi multam stragem experti sint. (n) Stipendium ipsis à Romanis datum, seu pretium pacis, honestius dictum. (o) Quod quia imminutum est sub *Hadriano* Imperatore, Romanos vexare cæperunt, donec restitueretur, quòd petebant. (p) Quia verò *Russi*, *Alanis* confines fuerant, ideo utraq; Gens coaluit, dictiq; sunt nomine ex utriusq; Gentis appellatione composito *Rhoxolani* sc: *Russi* & *Alani*. Hinc & Plinius (q) eos coniungit; & usq; ad Danubium extendit: Quidquid autē de Scythis Europæis, & minoris Asiæ, itemq; de Sarmatis dicitur, omnibus Populis Russiæ atq; Moschoviæ servire potest, cùm ab uno stipite descendant, (r) nisi expressius aliqua pars populi designetur.

Russi unde dicti.

Roxolani à Romanis quondam apretiati.

(m) *Gvagninus Hist Polon. Lib* 3 *Par:* 1. *Confer etiam Cromer de Reb Polon: Lib.* 1. *Cap.* 8.
(n) *Tacitus Hist Lib* 1 *Cap:* 79.
(o) *Synesius Orat: ad Arcad:*
(p) *Spartianus in Hadriano. Cap.* 6.
(q) *Plinius Lib* 4 *Cap* 12
(r) *Cromer de Reb. Pol L.* 1. *C.* 7. 8 *Piaseccius in Chron: pag.* 55.

Quod verò de *Slavis* narratur, potiori titulò, id ad ſolos *Polonos* pertinet, qui devictis Germanis, hanc ſpecialem appellationem meruerunt. (s) Licet etiam Ruſſiæ Albæ incolis, qui ad Boryſthenem manebant, hæc gloria negari minime poſſit. Ibi namq; certum vadum Boryſthenis *Sławuta* antiquiſſimè dictum fuerat, a frequentibus victoriis per accolas obtentis, unde ipſi, *Famoſi* ſive *Slavi*, dici meruerunt. (t) Cur autem potius ad Ruſſos ſpectent dicta de Scythis, quàm ad alios Scythas manentes ultra Boſphorum Cimmerium & Tanaim, Ratio eſt. Quia, Scythæ prius innotuerrunt circa Boſphorum Thracicum, & Boryſthenem, quàm alibi (ut colligitur ex dictis ſupra) (u) Quod etiam ex fabuloſa licet (veritatem tamen occultam habente) narratione Herodoti colligitur, qui dicit circa *Hylæam* Scytharum *Proto-Parentes* in ſpecu genitos à Virgine *Hemovipera* (w) *Hylæam* autem probavi fuiſſe inter oſtia *Tyræ*, & *Danubij* ubi *Agathyrſæ* habitabant. (x) Omnia hæc Ruſſiæ propinquiora, quam Aſiæ minori. Conveniunt etiam Ruſſiæ noſtræ, ea, quæ Herodotus, tanquam rariora, de Regione Scytharum antiquorum adnotavit, ſc: octo Menſibús gelu eſſe; ita ut ſputum concreſcat, nec ex eo lutum fieri poſſit, niſi igne calefiat. Quòd aqua Boſphori, & Maris, ita gelu concreſcat, ut ſupra illam homines militent, & plauſtra ducant. Quod æſtate pluat, hyeme minimè. Quód tonitrua ſi hyeme fiant pro oſtento habeatur, & omnes mirentur: ſicut, ſi terræ motús accidat. Quod cornua pecoribus aut ſerò, aut prorſùs non creſcant; & alia ſimilia (y) quæ Regionem noſtram, quaſi indigitant.

Scytharū nomine ſatius veniunt Ruſſi quam Aſiatici.

§.

(s) *Hartknoch de Rep: Polon: Lib* 1. *Cap.* 1.

(t) *Martinus Paſzkowſki in Poemate Polonico de Turcis, Tartaris &c: Lib.* 1 *Cap* 4

(u) *Vide hic Par.* 3. *Cap.* 10. §. 6.

(w) *Herodotus Lib:* 4. *Cap:* 9.

(x) *Vide hic Par* 3. *Cap* 11 §. 15.

(y) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 28.

§. 22dus.

RUſſia verò ſub titulo Ducatus primùm coadunata eſt ſub *Kijo*, *Szczyk* & *Korew*, variis, tum internis cladibûs, tùm (poſteriori tempore) Tartarorum incurſionibûs vexata. Cum Polonis aliquando flûxam pacem, coluit, quandoq; cruenta Arma miſcuit, donec à *Boleſlao Chrabry* Rege Poloniæ Ruſſi vincerentur, *Kijovia* diriperetur, ac vaſtaretur: cujus ſpolia adhuc in Eccleſia Gneſnenſi cernuntur. Jngrediens Victor Rex *Kijoviam*, æream portam (quæ Ruſſis aurea dicebatur) forti brachio, impacto acinace, diviſit, (qui gladius in Arce Cracovienſi ſervatur ob notã ſibi impreſſam *Szczerbiec* dicitur) Columnas tres è ferro ſolido victor in *Boryſthene* poſuit; alias in *Sula* fluvio. (z) Sed aliquoties a feudo ſe liberare tentantes Rutheni, ultimariè a *Caſimiro M.* victi ſunt, & tota *Ruſſia*, *Alba*, & *rubra* in Provinciam redacta eſt, ac Regno Poloniæ unita. (a) Ruſſia tota nunc trifariam dividitur, in albam, nigram, & rubram. *Nigra* eſt ſub ditione Moſchovitica uſque in extremum Septemtrionem extenſa, vel ob frequentes Sylvas, vel propter longiſſimas noctes, præcipue circa ſolſtitium hyemale: vel quod aquilam nigram pro Stemmate gerat, *Nigra* appellatur. *Ruſſia Alba* Palatinatum *Novogrodenſem*, *Mſciſlavienſem*, *Vitepſcenſem*, *Smolenſcenſem*, *Czerniechovienſem*, *Kijovienſem* complectitur. Sic dicta, quòd maximè Septemtrionalis ſit & multa nive albeſcat. *Ruſſia Rubra* Palatinatum *Podoliæ*, *Ruſſiæ*, *Volhyniæ*, *Belzenſem*, *Braclavienſem*, nec non *Terram Chelmenſem* & *Halicenſem* continet.

Ruſſia devicta & Poloniæ connexa.

Quia

(z) *Długoſz, Hiſt: Polon L 2. Paprocki Horto: Regio Lib* 3.

(a) *Długoſz Hiſt: Polon: Lib. 9. Stani: Łubieńſki Tractatu de jure Pol. pag:* 189. *Cromer Lib. 7. Nadanyi Hiſt. Hung: L. 2. Cap. 16. Vincen: Kadłubek Chron: Polon: Lib. 4 Cap. 14.*

Quia verò antemurale est Christianitatis, ob frequentissima ibidem bella cum Turcis, ac Tartaris; Incolarum Sangvine non semel rigata fuerat, ideò *Rubra* dici meruit. (b) Ex his autem Palatinatibus *Braclaviensis*, *Kijoviensis*, *&* *Czerniechoviensis*, *Ukraina* dicitur, quasi extrema ora, & limes Poloniæ.

(b) *Cromerus Descrip. Polon: Lib:* 1. *Pag.* 41. *seqv: Simon Starowolski in Descrip. Polon.*

CAPUT V.

Quod in integro Opere est XIII. Partis III.

De primis Populis, qui reliquas oras Russiæ, Livoniæ, Lithvaniæ, Prussiæ, atq; Pomeraniæ, post Diluvium universalè incolebant.

§. 1mus.

Herodotus solam Russiam descripsit.

Hactenus, tanquam principalem manuductorem, sequebar Herodotum, in conquirendis Populis *Russiæ*, *Podoliæ*, atq; *Volhyniæ*: Nunc alios quæro, qui monstrent vestigia Populorum in *Russia Alba*, *Lithvania*, *Prussia*, *Livonia*, *ac Pomerania* quondam manentium. Herodoto enim præter *Russiam* (eamq; non integram) *Græciam*, *ac Italiam*, cæteræ Regiones Europæ, erant incognitæ. De Germanorum Sedibus, vix quiddam audierat. (c) *Russiam* ex auditu descripsit, sub nomine *Scythiæ antiquæ*. *Polesiam* tamen imò *Volhyniam* ex *Aristeæ* narratione cognovit. *Aristeas* autem *Scytha* fuit (quem nonnulli *Abarim* vocant) Hic donatus ab Apolline sagittà, eam arcu excutiens cum illa simul volasse fingitur. Unde plu-

ri-

(c) *Herodotus Lib.* 2. *Cap* 33. & *Lib.* 3. *Cap.* 115.

rimos Populos velocissimè transiit. Legatus Athenas missus, ad suos Hyperboreos rediit. *Jamblicus* Pythagoræ discipulum dicit, ideo forte, quòd cum *Zamolxi* Philosopho Scytha, Metempsichosim tenuisset, (d) quam *Pythagoras* post *Zamolxim* defendit. *Aristeas* ultra *Issedones* & *Arimaspos*, non progressus, unde quæ ultra hos Populos de Hyperboreis narrabat, fabulosa sunt. Inferre tamen possumus *Abarim* sive *Aristeam*, aut Ruthenum, aut Lithvanum fuisse, cùm hæ Gentes passim Hyperboreæ dicantur. Et licet Herodotus, non undequaq; improbet Hyperboreos (à quibus missæ fuerant duæ puellæ *Hyperoche*, ac *Loadice* cum comitibus *Perpherees*, appellatis, ut Sacrificium Diannæ offerrent pro maturato partu fæminarum) omnia tamen dubitans recitat. Hæ Puellæ, quoniam ad suos non redierunt, noluerunt amplius Hyperborei mittere alias cum donis; spicas tantùm ad vicinos Populos transmittebant; quæ gradatim, usq; in *Delum* apportabantur. (e) Cæterùm tamen de Hyperboreis atq; de Riphæis montibus, Hortum Apollinis cingentibus, de divitiis, & felicitate Populorum, omnia prorsùs sunt fabulosa. Jn Asia, *Mela* cum cæteris, dicit Hyperboreos manere. *Jn Asiatico littore primi Hyperborei super Aquilone, Ryphæosq; Montes, sub ipso siderum cardine jacent, ubi sol non quotidie.* (f) Alii Montes Riphæos in Hyperboreis esse putabant, ex quibus Tanais oritur. (g)

Aristeus quis fuerit?

Hyperborei Populi

Solus Hyperboreas glacies, Tanaimq; nivalem
Lustrabat,

t.

(d) *Vossius de Poët Græcor: pag:* 16

(e) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 32. *sequ.*

(f) *Mela Lib.* 3. *Cap:* 5. *Plinius. Lib* 4. *Cap.* 12. & *Lib.* 6. *Cap:* 13. *Virgilius Georg: Lib.* 3. ℣. 196. *Pindarq. Pyth.*

(g) *Virgilius Georg Lib.* 4. ℣. 517.

§. 2dus,

Aliqui, in Polesia nostra Regionem Hyperboreorum cum Riphæis montibus subsistere putaverunt, ex quibus *Panticapes*, seu *Prypetus* oriretur; forte secuti *Aristeæ* sententiam, qui ultra *Arimaspos* Hyperboreos ponit; inter quos *Dionysius* in Græco carmine idem supponit, uti eum interpretatus est *Festus Avienus*,

Tunc æquora Panticapei
Aldesciq; Tibi cæso de vortice surgunt
Riphæi montes, ibi dura sæpè sub arcto
Densa pruinosos eructant nubila nimbos,

Riphæi Montes an existant.

Certe de *Tanais* & *Panticapes* fontibus nobis optimè notum unde fluant, nec ita magnos montes contigit videre. Jmò Regio inter mediocres montes, in planos campos demittitur. Tanais namq; ex *Laçu Joannis* vulgo *Jwanowe Ozero* fluere incipit. Si autem montes vicinos Lacui, *Riphæos* quis esse contendat, certè Plinij sententia fulciri posset, qui *Argipæos* ad extremum montium Riphæorum habitasse dicit. (h) Montes enim Cremenecenses ultra *Ostrog* excurrentes circa *Kijoviam* procedunt, & *Tanais* fontibus appropinquant. Si autem cum quibusdam, Riphæos Montes intelligas, qui *Siberiam* & *Petzoram* Regionem tanquam duo cinguli ambiunt (ideoq; dicuntur Slavonicè *Zemskoy poiaz* idest *terreus cingulus*) defactò, hi montes longè in Ortum, & Septemtrionem, declinant, à *Tanai* & *Panticape* (ut pote intra 63. & 68. gradum inclusi) Adeoq; Regio Hyperborea dici non potest, cum sit æq; nota & habitabilis, ac *Laponia*. Et illorum hominum Protoparentes fratres sunt eorum, à quibus originem ducimus sc:

Ri-

(h) *Plinius Lib: 6. Cap: 13.*

Riphat, & *Tubal*, ut placet nonnullis. (i) De *Subpolaribus* autem, nihil nobis constat. Et quemadmodũ ignoramus utrum sint *Superaustrales*, ita pariter, an dentur Sc: *Superaquilonares* pariter ignotum. Quod ergo de Hyperboreis antiqui dicebant, id de *Svecia*. *Lithvania*, *Moschovia*, & *Russia alba*, intelligendum est, sed ab infinitis fabulis repurgari debet. *Ubi reperiuntur Populi Hyperborei.*

§. 3tius.

Hos ergo Pupulos, quos Antiqui ultimos, & Hyperboreos, putaverant breviter nunc explico. Ac inde principium sumo, ubi nuper desij sc: *a Russia alba*, cum adhuc ista pars (quamvis nunc Lithvaniæ adjuncta) ad Russiam originaliter spectet.

Jgitur supra *Melanchlæos* habitaverunt ad ortum *Aorsi*, ad septemtrionem *Waregi* sive *Waragi* ubi nunc Palatinatus *Msciſlaviensis*. Antiquus hic Populus, à quo Moschorum, sive Russorum deducitur origo. Nam *Ruricum* (qui Russiæ nomen putatur dedisse) ex *Waregis* ortum ducere credit Hornius. (k) Sub nomine autem *Waragorum* omnes Maris Baltici Jncolas opinatur includi. Aliqui putant *Waragos*, & *Roxolanos* eundem Populum fuisse. Ego his vix crediderim, cùm nunquam legerim *Waragos* tanquam Fratres cum Russis vixisse. Jmo ex illis frequenter spolia referebant, licet quandoq; lucri gratiâ, à dissentientibus inter se Roxolanis in auxilium fuerint vocati. (l) Denotat id appellatio Slavonicâ. Nam *Wrach* vel *Wrag*, *inimicum capitalem*, significat. *Waregi Populi.*

Juxta *Waregos* ad Occidentem (mittendo ad meridiẽ Sarmatas) ha- *Homoxolij.*

T

(i) *Vide Calmet Comment: in Genes.* 10. ℣. 2.

(k) *Georg: Hornius in Orbe Jmper: cum notis Joach: Fulleri*; *pag.* 373. (l) *Dlugosz Hist: Pol: Lib.* 2.

habitarunt *Homoxobij*) Populus Sarmaticus. *Hamaxabitas* alij dicunt. (m) Hi nunquam Sedes fixas habuerunt, sed in plaustris vivebant, & vagabantur per campestria. Quandoque equum unum (quod in more etiam nunc est Russis) aliquando boves jungebant currui. (n)

Ducunt Sarmatici, barbara plaustra boves.

Unde etiam nomen hoc derivasse videntur. Tamen pluribus Scythis erat commune, secum plaustra ducere, cum supellectili, uxoribus, & parvulis. Hos Populos, & qui mox sequuntur Plinius putat solo nomine distinctos. *Sauromatæ, eorumque Hamaxabij, aut Aorsi alias Scythæ degeneres, & à servis orti aut Troglodítæ, mox Alani, & Roxolani.* (o)

§. 4tus.

Versus occidentem, supra Arimaspos, habitabant Scythæ, quos *Apostantes*, sive *Desertores* vocat Herodotus (quod a Scythis Regijs, qui se aliorum Dominos credebant) sive pari dominandi libidine incitati, sive jugum sibi a paribus impositum, excutientes, recesserint. (p) Nihil speciale de illis notatur, cum, Scythis *Basilidibus* per omnia fuerint similes, adeoq; cæteris cultiores. Cum autem Plinius *Troglodítas* illos dicit; hoc unum certum est in specubus eos habitasse. Alia verò, ab Authoribus de Trogloditis narrata licet his quoq; servire possent. Sed quoniam hoc nomen non est proprium, verùm appellativum, pluribus aliis gentibus serviens, ideò satius omittenda duxi.

Troglodítæ Scythæ

His

(m) *Plinius L.* 4. *C.* 12. *Tertul: contra Marcionem. L.* 1. *C.* 1.
(n) *Ovid: Tristium Lib.* 3. *Eleg:* 10. ℣. 36.
(o) *Plinius Lib.* 4. *Cap:* 12.
(p) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 22.

His ad latus Occidentale posita erat terra *Anartum*. Diversæ ab Authoribus illis assignantur Sedes. Nam *Strabo* illos in Asia, (q) Cæteri in Europa locant. Sed cùm Ptolomæus, Daciæ, maximè Septemtrionales faciat; & *Anartios* appellet, (r) Cæsar, *Herciniam Sylvam* pertingere dicit, ad fines Dacorum & *Anartium*. (s) Hercinia verò Sylva multorum opinione grandi Sylvæ (quæ nobis *Niedobor* dicitur:) infra Camenecum conjungebatur: licet à *Niedobor* prorsus esset diversa. Non multum ergo me aberrare credo, si *Anartios* hôc loco ponam, præcipuè inquietam mansionem primitivorum considerando: quorum transmigrationes (: teste Tacito:) vix attingi possunt, absq; dubio. (t) Si vero *Anartes* volueris locare circa *Carpatum* in Transilvania, id ego facile concedo, cùm illi loco plura quadrent, quàm huic, quæ ab Authoribus narrantur de *Anartibus*. Jn locum verò *Anartum* substitue *Arriones* sive *Arios*. Tacitus ipso aspectu terribiles fuisse dicit, quod nigris vestibûs, ac scutìs uterentur: & atras eligerent ad prælia noctes. (u) Mansisse videntur ubi postea Ducatus *Bartemland* à Duce *Bartha* fundatus erat. (w) Supra *Amadobochos* ad Occidentem manebant *Cestoboci*. (x) mallem dici, *Cestrobocos*, ab urorum cornibus, quorũ usus, tam in Sacrificiis, & libaminibus, quàm ad mensuræ certam quantitatem denotandã, frequentissimus apud Scythas (y) de quo, differens *Plinius Cestrota* certũ genus appellat, (z) quod arte Eucastica, verriculò cornu pingeret; hoc opus

Anartum dubia sedes.

Arriones populi.

(q) *Strabo Lib*: 8.
(r) *Ptolomæus Geogr. L.* 3. *C.* 5. *Plinius L.* 4. *Hist. Natur. C.* 13.
(s) *Cæsar Bell: Gallic: Lib.* 6. *Cap.* 25.
(t) *Tacitus de Mor. Germ: Cap.* 28.
(u) *Tacitus de Morib: Germ. Cap.* 43.
(w) *Gvagninus Hist: Sarm: Lib.* 4. *Par.* 2.
(x) *Ptolomæus Geogra: Lib.* 3. *Cap* 5.
(y) *Solinus Cap* 20 *Vide hic Par.* 3. *Cap.* 11 §. 8.
(z) *Plinius Lib:* 11. *C.* 37.

Cestroboci unde dicti

etiam Græci appellabant. Si autem (cruditatem hominum illius ævi respiciendo) id non placet: aliam proximiorem denominationis occasionem propono. Cùm etenim *Finni* sive *Fenni* eandem plagam incoluerint, cum *Cestrobotis*, facile moribus conveniebant, illi autem, sive ob ignaviam, sive propter soli malignitatem, nil prorsus possidebant, ita ut de illis asserat Tacitus *Securi adversus homines, securi adversus Deos, difficillimum assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit.* Venatus ipse viros pariter ad familiam pascebat, solis itaq; usi sagittis, quas ob inopiam, ferri ossibus armabant. (a) (certe ossibus urorum) His autem contermini Cestroboci æquali paupertate laborantes similes forte sagittas & jacula efformabant, Sagitta autem, & jaculum aliquando *Cestrum* dicitur, à quo hi pauperes venatores, ac Milites, *Cestroboci* dici poterant: idest *Sagittiferi*.

§. 5tus.

Hellevlones versùs Occidentem *Cestobrocis*, Meridionales verò *Finnis* seu *Fennis*, erant. Iidem forte sunt cum *Helluæonibus* Ptolomæi, & cum *Hellusiis* Taciti (b) quos infra *Fennos* locat, sed ne incerta proponat, præter nomen nil amplius posuit. *Willichius*, eorum Sedem credit fuisse prope *Dantiscum*, ubi locus *Heil*, in Ora Sinus Venedici. *Cluverius* tàmen longè illos removet, *Ortelius* satius dictos fuisse *Delecalros* judicat, idest *Monticalas* lingva *Scandivanica*, nam Montem *Sevo* inhabitasse credebantur. Plinius *Hillevtones* appellat, & Scandinaviæ partem quingentis pagis inhabitasse dicit (c)

Ingævones Populi.

proximi *Ingævones*, ubi nunc *Polock* & *Witebsk*. Dicti autem

(a) *Tacitus de Morib: Germ: C. 46.*
(b) *Tacitus ibidem.* (c) *Plinius Lib: 4. Cap: 13.*

tem sic: vel quod Jndigenæ fuerint, & aliunde huc non advenisse putarentur, vel quod terram inhabitarent à Mari remotam. (d) Hanc tamen derivationem *Coringius* (e) reprobat, cùm diphtongus clarè demonstret, non esse deductam appellationem à barbara voce. Tacitus, *Jngævones*, medios ponit inter *Jstevones* & *Hermiones*. (f) Sed videtur respicere, non tam populos, quam Filios *Manni*, supra dictos, inter quos medius fuerat *Jngævon*. Licet & populi possent intelligi ab uno fonte procedentes. Plinius enim *Jngævonum* gentem latissimam dicit, & in *Cimbros*, *Teutonas* ac *Cauchos* divisam. (g) Ex quo patet *Teutones*, & Germanos non esse Originarium populum, sed à vetustioribus descendentem præcipuè ab illis, qui a meridie supra Borysthenem procedentes circa Mare Balticum primi sederunt. Patet id ex sententia ipsius Plinij qui *Hillevíones* & *Jngævones*, numerat inter Gentes Ponticas. & licet *Cap* 14 *Cimbros*, *Cauchos*, *Jstævones*, Germaniæ populis annumeret, constat tamen, illum aliorum sententiam secutum, id asserere: cùm ibidem Amnes numeret, *Vissurgim*, *Gutalum*, *Albim*, *Vistulam*, Ex dicendis autem clarius constabit inter hos fontes Slavones, semper mansisse non Germanos. Jd etiam superiori capite expressè fatetur post descriptos namq, *Jngævones* & *Hillevíones* addit *Quidam hæc habitari, ad Vistulam usq; fluvium, à Sarmatis, Venedis, Scyrris, Hirris, tradunt.* *Mons Sevo in Filandia,*

Jta tamen supra dicta accipe, quod nimirum *Jngævones* in vicinia *Sevonum* montium consederint: non quasi illis immediatè adjacerent, sed, quod non longè fuerint remoti si-

(d) *Solinus Cap.* 23. *Grotius in Prolog: Hist: Gott.*
(e) *Coringius in notis ad Tacit: de Germ: Cap.* 2.
(f) *Tacitus de Morb: Germ: Cap.* 2.
(g) *Plinius Lib.* 4. *Cap:* 13. & 14.

finu tantum; Finico mediante. Hic etenim mons, non minor Riphæo (h) distinctus, variis nominibûs à Mari Albo, usq; ad Sinum *Codanum* per 300. miliaria extensus varias gentes continebat, à cujus fama etiam proximæ Regiones, (licet ipsi minimè adhærentes) sub uno tamem Principe existentes, denominationem sumere poterant.

§. 6tus.

Finni seu *Fenni* juxta Ptolomæum, & Tacitum, (i) ultra Sinum *Phinnicum* & *Botnicum* habitarunt, ubi nunc *Finnonia* sive *Finlandia*. Propriis Principibus obediebant, sed à Rege Sveciæ Edvardo subjugati, a Moschis non semel fuerunt afflicti. (k) *Finni* autem dicti à Deo suo *Finno* quem una cum Dea *Siba* colebant. (l) *Siba* verò erat Venus commune omnium Slavorum Numen, quod alii *Siwam* dicebant, ut dictum supra. (m) Finnos advenisse huc credo ex Thracia, ubi horum vestigium fuerat Urbs *Phinnopolis* inter *Bosphorum* & Ostium *Istri*. (n)

Aliqui Populi circa sinum venedic.

Æstii, iidem qui *Æstonii*, & *Æstiæi*, ubi nunc pars Livoniæ *Estonia*. Illorum sedem ampliat *Sanadon* in *Dict: Georg:* ultra fidem, dicit namq; eos occupasse Prussiam, Livoniam, Lithvaniam, usq; ad Civitatem *Nur*. sive *Nursk*, medietatem Moschoviæ, & usq; ad Vistulam processisse. Sit sane! verùm ita extensas ponendo Gentes, quas antiqui enumerant Geographi in hac parte Europæ, spero terram illis locandis defuturã.

Pu-

(h) *Plinius Lib.* 4. *Cap:* 13. & *Lib.* 18. *Cap.* 15.
(i) *Tacitus de moribus Germ: Cap:* 16.
(k) *Crantzius Lib.* 6. *Cap.* 28. *Thuanus Hist: Lib* 50.
(l) *Georg Fabricius Orig: Saxon: Lib* 1.
(m) *Vide hic Par:* 3. *Cap:* 11. §. 3.
(n) *Plinius Lib:* 4. *Cap:* 11.

Puto igitur, partem tantum Livoniæ possedisse: in altera verò parte ejusdem Ducatus manebant *Rugii.* Non *Heruli* illi, qui *Rugiam* Jnsulam postea incolebant, sed à *Riga* Civitate maritima sic dicti. Quod patet ex ipso Tacito. Nam de *Herulis* & *Rugiis* loquitur tanquam de distinctis Populis, idq; in diversis Capitibus, Jllos *Jnsulanos* dicit, hos *Rugios.* (o) Jnter Civitates antiquas Slavorum Ptolomæus etiam *Rugium* nominat (p) certe non Jnsulam. *Riga* verò antiqua est Civitas, sat culta. A Cruciferis nigræ Crucis (qui ab Archiepiscopo Rigensi instituti erant ad defendendam Regionem ab incursionibus Paganorum) eidem Archiepiscopo erepta & aucta, deinde Anziaticis annumerata fuerat. (q) Sed Rugios non suppono eosdem esse cum *Ruguscis* vel *Rhiguscis* Plinij (r) Hæc enim Gens erat Alpina, seu *Rhetica.* Hi autem Populi erant Maritimi, & à Jornande cum *Etherlugis* confunduntur, atq; *Scanziæ* adjunguntur. (s) Unde hic Author proximius nostræ sententiæ videtur accedere.

Rugiis Confines erant *Sytonii* ubi nunc Curlandia, *Sitones* dicti à Tacito (t) *Sintones* vel *Sithonij* à Mela, & a Plinio appellantur. Quod apud ipsos Fæminæ viris dominarentur, Tacitus irridet. *Non modo à libertate, sed etiam à servitute degenerasse* additq;, hic *Sueviæ finis:* Ostendens *Suevorum* Dominium, eo tempore amplissimum fuisse, qui utrumq; littus maris tenebant, & peregrinas naves portibus suis excipiebant, ac ipsis *Sitonibus* jura dabant: Horum Dominium descri- *Sitones Populi Scythæ.*

bit

(o) *Tacitus de Morb Germ. Cap* 40. & 43.
(p) *Ptolom: Georg. Lib.* 2. *Cap.* 11.
(q) *Dlugosz, Hist: Polon Lib.* 9.
(r) *Plinius Lib.* 3. *Cap.* 20.
(s) *Jornandes de Reb: Get: Cap.* 3.
(t) *Tacit: de Morib Germ: Cap.* 45. *Vide etiam Willich, in Tacit: de Morib: Germ: Par.* 2. *Num.* 19.

bit Cæsar, & alii. (u) Probabile est *Sitones* non fuisse hujus loci indigenas, verum ex Thracia huc migrasse, ubi ab antiquo habitabant. Nam illorum meminit etiam Homerus. (w) *Sinties* tamen appellat. Plinius *Sithones* dicit: sed propius circa Pontum Euxinum locat. (x) Unde pro *Thracia*, Poetæ quandoq; *Sithoniam* ponunt. (y)

Sithoniasq; nives hyemis subeamus aquosæ.

Poterat ergo fieri, ut ex Thracia versus Pontum declinarent. Sed postquam Gettæ Urbem munitissimam *Ægypsum* dictam illis eripuissent teste Poeta. (z)

Urbs erat in summo nubibus æqua jugo
Sithonio Regi, ferus interceperat illam
Hostis, & ereptas, Victor habebat Opes.

Postquam (inquam) Urbe, & Terrà, pulsi sunt *Sitones*, in hanc Oram se transtulerunt; & hic jam forte Taciti tempore habitabant. Navibusq; talibus quales ipse describit utebantur. Quod nunc quoq; servatur, omnes enim naves, quæ per *Cronenem*, seu *Niemen* fluvium mittuntur (præcipuè quæ *Wicini* appellantur) utraq; parte proram habent; ideò: quòd cùm fluvius sibi semper æqualis, altioribûs stringitur rippis; naves autem terræ adhæsuræ, pluribûs locis girari non possunt, necesse est, ut quâ parte attingunt littus, jam ibi proram habeant. *Sitones* hi cum *Sidinis* minimè confundendi sunt, cùm hos Ptolomæus longè removeat & ad *Wiadrum* locet. (a)

Navigia ipsorum atq; Svionum.

(u) *Cæsar: Com: Bell: Gall. Lib. 1 Cap. 37 & Lib 4 Cap 1. seqv. Pliius Lib. 2. Cap 67. Mela Lib 3. &c: Florus Lib 4 Cap 12. Ptolom: Lib 2. Cap. 11. Lazius de migrat: Gent: Lib. 7 & 8. Micrælius Chron: Pomer: Lib. 1. num: 20:*

(w) *Homerus Jliade 1. ubi de Vulcano* ℣. 593.

(x) *Plinius Lib. 4. Cap* 11

(y) *Virgilius Eclog: 10* ℣. 66. *Ovid: Epist. 2. Heroid.* ℣. 6.

(z) *Ovidius de Ponto Lib. Eleg. 7.* ℣. 24.

(a) *Ptolomæus Lib. 2. Cap. 11.*

Sitonibus contermini erant *Sviones*, juxta Tacitum. Jnter *Lemmovios* & *Rugios* locantur à *Willichio* in *Lapponia* & tota *Svecia*, à *Sanadon* ponuntur. Ego Tacitum ſequor eos locando in *Samogitia*, ipſe namq; in *Sua Germania*, ultramarinos populos minimè ponit, aſt cismarinos, & ſignanter Civitatem *Svionum* dicit eſſe vicinam mari, ſive in ipſo mari, vel potius in littore maris. Unde *Sviones* littus maris arabant, & ſimilibus navigiis ſicut *Sitones*, utebantur. Nec multùm moribus à Tacito deſcriptis diſcrepant moderni ruſtici, licet politior ſit nobilitas. (b) Gentem autem Geticam eſſe probat nominis Analogia *Samogitarum*, ita, ut *Samo Gete*, vel *Sami Gete* quaſi *ſoli Getæ* vel, *non mixti* aliis *Gentibus Getæ*, Slavicè dici meruerint. Nunc tamen, Polonicè Regio hæc *Zmudz* appellatur. *Sviones* verò vel potius *Svojones* dicebantur ob affinitatem frequentem inter paucos faciliter multiplicatam: adeoq; *Swoi*, vel *Swoiacy* genuinè appellari poterant. *Sitones* & *Sviones* cæteræq; Gentes ultra Daniam extenſæ, à Francorum Scriptoribus *Nortmani*. ſc. *Septemtrionales populi* dicebantur. (c) Quorum facta & res præclarè geſtæ, præcipuè Sæculo IX, totâ Europâ inclaruerunt.

Samogitæ Scythæ origine.

§. 7mus.

Rugiis, ſuccedere *Lemmovios* tradit Tacitus, (d) ego verò *Rugiis* Collimitaneos pono. Maxima eſt controverſia de collocatione *Lemoviorum* (imo de ipso Nomine) ut pote quod illos quidam in *Pomerania*, alij in *Caſſubia* & *Pomœrella*. Alij circa *Luneburgum* conſtituant. *Sanadon* Lemovios, cum He-

Lemovij Populi.

(b) *Gvagninus in Chron: Sarm: Lib. 5. Par. 3.*
(c) *Eginhardus in Vita Caroli M. Adam Bremenſis Hiſt. Eccl. Lib. 1. Cap. 13.* (d) *Tacitus de Morib: Germ: Cap. 43.*

Herulis confundit, ſedem illorum aſſignans in *Caſſubia* circa *Puck*, extenſos verò in Pomeraniam: Quidam *Linones*, alij *Lujonones*, alij *Luvinos* vocant. (e) Ego Helmoldi deſcriptionem ſequens (ut pote Authoris de Gente Slavica antiquiſſimi, qui ad Annum 1168. Chronicon Slavorum conſcripſit) à *Wiltzijs* illos parum aut nil differre ſuppono; Dicit namq; *Hi quatuor Populi à fortitudine Wiltzii, ſive Lutici, ultra illos ſunt Lingvones & Varnavij.* (f) Præterea duas Origines proponunt Viri docti *Lemoviorum* illos deducendo, vel à *Lemen*, quod apud Germanos, idem *lutum* ſignificat, vel à *lino*, quò Regio illa abundat: Unde in Latino, *Lutici* à *Luto*, *Lemovij* autem à *lino*, dicti creduntur. Sed gratis derivationem vocis apud Germanos, aut Latinos quærimus, cùm Gens Scytho-Slavica, ſuo idiomate appellata fuerit. Ideoq; terra illa lutoſa *Ilna* vel *Ilmowa* dicta à Latinis, *Limovia*, quaſi *terra limoſa* fuerat denominata. Ab abundantia verò *lini* (quod *len* Slavonice dicitur) etiam *Lenovia* appellari meruit. Aduſq; enim incolæ linò delectantur quod abundantiſſimè colligunt, adeo, ut non ſolum propriis, & vicinorum commodis ſufficiat, ſed plurimum, ex Lithvania & Samogitia, etiam ultramarinis transmittatur. Durat etiam hucuſq; Luticorum cognomen proprium Slavonicum, ita ut qui *Lutici* latinè, vulgò *Lotwacy* audiant: & qui *Livnij*, & *Lumi* appellabantur, adhuc *Livones* latinè dicantur, licet nos communiter *Livoniæ* Ducatum *Inflanty* appellemus.

Wiltzij autem ſive *Wilcy* a Lupo (*Wilk*, polonicè) ſuam trahunt originem forte propter rapinas, bella continua, & virorum fortitudinem ſic dicti. Vel potius ideo, quòd incolæ pel-

---

(e) *Vide Cluverium Introduc: Geograph: Lib.* 3 *Cap.* 2. & *Germ. antiqv: L.* 3. *C:* 35. *Paulum Friderbonium Chron: Stetin: L.* 1 *pag:* 2.
(f) *Helmoldus Chron: Slav: L.* 2. *C.* 2. *Adam Bremens: Hiſt: Eccl: L.* 1. *C.* 10.

pellibus Lupinis, crine supraverso, vestimenti genus conficiant, ut se a frigore defendant. Quæ vestimenta, *Wilczury* dici solent. Unde etiam Populi *Wilcy* idest *lupi* vel *lupinis pellibus tecti*, appellari poterant. Magis ampliata est hæc Denominatio Gentis. Post extructam *Wilnam* Civitatem, à *Gedmino* Duce Lithvaniæ, Hic fatigatus venatione, cùm abdormisset; sómniavit, se lupùm ferreum videre, in eo autem lupos plus Centum ululantes audire. Cùm Ariolis, & Sacrificulis, id nuntiasset; Princeps Ariolorum *Lezdzeyko*, id exposuit: à Principe ædificandam urbem, quæ replenda erat populò fortissimò. Hoc executus *Gediminus* Civitatem amplam ædificavit, & *Wilkno* à lupo ferreo, denominavit, quæ postea à flumine *Wilna*, etiam *Wilno* molliori accentu dicta est. *Lezdzey ko verò Radziwilk* quasi *interpres somnij de lupo*, appellatus fuerat. Et Celsissimæ *Radziwiliorum* Familiæ à se descendenti Nomen reliquit. (g) Hinc deinde nomen *Wilk* inclaruit postquam Civitas Principalis *Wilkno*, & alia proxima *Wilkomirz* ædificatæ sunt; & plures aliæ denominationes originem traxerunt.

Wiltzanorum appellatio unde.

Principii Radziwiliorum origo.

Scio *Lemmovios* & *Wiltzos* alibi locari communiter à Recentioribus, qui pro se citant *Helmoldum*, & Bremensem. (h) Confirmando id Triumphis Caroli M. Ubi inter victos Slavos, etiam *Wiltzy* numerantur, Non nego etiam ibi *Wiltzos* mansisse. Jllo namque tempore, quando diversi populi distinctas formabant Res-publicas, secū invicem Collidentes, etiam versús Albim transire poterant *Wiltzy* præcipuè circa Annum quadringentesimum, sæculo IV. & V. quando *Wandali* in Jtaliam usq; ex suis Oris transierunt. Tunc etenim liberum accessum populis concesserunt, ut transitò *Wistulâ* sive *Wandalô* fluviò,

(g) *Gvagninus Chron: Sarm: Lib: 2. Par. 1.*

(h) *Adam Brem. Hist: Eccl: Cap: 13. Helmoldus Chron. Slav. Lib 1 Cap 14. Confer etiam Egenchardum in vita Caroli M. Cap. 12. Conradum A. Lichtenau: in Chron pag. 176.*

vix non vacuas illorum Sedes occuparent, & cum finitimis (acquisita defendendo) pugnantes ditionem ampliarent. Quod prosperè successit *Wiltziis* propinquioribus quorũ magnam partẽ, versus Albim processisse, sat probabile judicandum.

Primitivam tamen illorum Sedem hic fuisse non dubito ob mores constanter retentos, & Nomen ipsum, quod tamen non à Gedimini somnio, sed ab abundantia luporum, & usu pellium hujus animalis, desumendum est. Vel à fortitudine bellica Gentis; virorum enim fortium apud veteres lupus symbolum fuerat. (i) Inter, *Wiltzos*, *Rugios*, *Sitonios*, atq; *Sviones* reponuntur à Ptolomæo *Caryones*. Vicatim mansisse videntur juxta Tacitum. (k) Crudeles Idolatras, Necromantiæ deditos dicit *Bremensis*, eosq; *Sveonibus*, vel *Svionibus* subjectos. (l) *Curetos* nominat Saxo Grammaticus. (m) Ipsissimi sunt moderni *Curones*, sive *Curlandi* erantq; ab antiquo pars Venedorum, Gentis Slavicæ. (n) Ex duplici occasione *Curones* dictos fuisse puto. Vel quod Magiæ dediti familiares dæmones colerent sub diversis speciebus animalium sibi visibiliter apparentium præcipuè sub forma gallinarũ, & gallorum. Quia verò hæ aves *Kur* vel *Kura*, dicuntur ab hoc cultu, etiam ipsi sunt *Curones* denominati. Nec mireris tales Deos! Etenim *Sokoth* Samaritanorum Deus (o) erat *Venus* sub speciè galinæ cum pullis culta. (p) Et in *Fionia*, *Livonia*, *Samogitia* *Lapponia*, *Russia* &c: diu hæc monstra sub spe-

Livones unde dicti

Curlandi, Curones quondam appellati.

(i) *Vide hic Par*: 3. *Cap*. 12. §. 5.
(k) *Tacitus de moribus Germ*: *Cap*. 46.
(l) *Adam Bremensis de situ Daniæ Cap*. 223.
(m) *Saxo Gramm*: *L*. 1 *Hist*: *pag*. 12. & *L*. 3 *pag*: 48. *cum Not*. *Steph*.
(n) *Mathias Strykowski Hist*: *Lithv*: *Lib*. 2. *Cap*. 6.
(o) *Tacitus de Morib*: *Germ*. *Cap*. 39.
(p) 4. *Reg*: 17. ℣. 30.

specie domesticorum animalium videbantur. (q) Jmo nunc etiam à perditis Sagis, & veneficis, similia quæpiam servari creduntur. (r) Vel etiam Curonum denominatio potuit originari, a nomine *Kur* aut *Kürz* quod *fumum*, *nebulam*, *turbidum àërem*, denotat. Cùm enim Regio sit Mari vicina frequentes nebulas, ac tempestates experiri cogitur; & ab indispositione loci hanc appellationem etiam Gens tota sortiri poterat.

§. 8vus.

Semnones in illa Regione constituit *Tacitus*, (s) quæ *Svevis* adjuncta erat. Dixi verò immediatè, illos hæc maritima, & Prussiam possedisse. *Semnones* tamen se vetustissimos Nobilissimosq; *Svevorum* jactabant. Cruentis hominum victimis in Luco quodam dæmonem placabant. Nullus præterea Lucum ingrediebatur, nisi vinculo ligatus, quodsi in humum laberetur, erigi nefas erat, sed per humum volvi debebat. Subjectionem Numini per hoc contestando, Centum plagis habitarunt. Quod nonnulli non de *Semnonibus* solis, sed de toto *Svevorum* Dominio intelligunt. Obliquum Crinem nodò substringebant, ac in vertice religabant; hoc differendo à Germanis, & *Svevis*, quòd hi òbliquarent crinem nodoq; substringerent (t) seu (ut vult *Salmasius* in notis) quod tortò crine, & in cincinos ligatò, Germani incederent. Jn aliis autem Gentibus, & Svevorum cognatione in tergum capillus reducebatur, vel in vertice nodò ligabatur. Jd à Polonis perenniter servatum aut enim rasi capitis sinciput solum, crine tegebatur (ut in antiquissimis iconibus videre licet) aut capillus in ter-

Semnonū Genus.

(q) *Seldenus de Dijs Syrijs Syntag*: 2. *Cap*: 6.
(r) *Olaus Lib.* 18. *Cap* 45 *seqv*: *Bodinus Lib.* 6. *Dæmon*: *C.* 6.
(s) *Tacitus de Morb. Germ*: *Cap*. 39.
(t) *Tacit*: *de Morib. Germ*: *Cap*. 38.

gum

gum reducebatur, ut nunc quoq; apud plures in usu. *Semnonum* Sedes præcipua videtur fuisse, ubi *Grodno* & *Troki*. Non desunt tamen qui semnones propius locant, & Hermundurorum confines faciunt: circa medium Albis tractum, usq; ad *Sevum* sive *Oderam* extensos. (u) Cluverius amplissimè Gentem extendit & partem Minoris Poloniæ, Ducatûs Silesiæ, Marchionatûs Brandeburgici & confinia Saxoniæ illis adjungit. (w) Leybnitius autem etiam partem Pomeraniæ tribuit. (x) Quos secutus *Sanadon* Magnam Partem Poloniæ Minoris Semnonibus adjungit, intra *Wartam* & *Oderam*. Ducatum *Crostinensem* partem Silesiæ circa *Glogow*: *Lusatiam*, Marchionatum Brandeburgicum, partem Saxoniæ, & Ducatûs de *Anhalt* atq; *Misniæ*. (y) Cui ampliationi occasionem dederat fama Gentis, tanto magis crescens, quanto in remotiora loca, & tempora extenderetur.

§. 9nus.

Sudeni proximiores Mari fuerant, ubi nunc *Krolewiec* seu *Regiomontium*, & hic illos locat *Ptolomæus*. (z) *Tacitus* etiam illorum meminit cui videbatur à vicinis Gentibus *Sudones* non esse distinctum Populum. Et *Agricola* dicit triginta solum pagis eos habitasse. (a) *Sambia* posterius hæc dicta Regio à *Saymo* Principe, altera illius Pars *Szalavonia* nominabatur sive a Duce *Szalav* sive potius à Gente *Slavonica*. (b) Maximum lu-

---

(u) *Ptolomæus Geogra*: *L*. 2. *C*. 11. *Vellejus Hist*: *L*. 2. *C*. 106. §. 2.
(w) *Cluverius Germ*: *Ant*: *Lib*. 3. *Cap*. 25.
(x) *Leybnitius in Not*: *ad Tacit*.
(y) *Sanadon in Diction*: *Geograph*.
(z) *Ptolomæus Geogr*: *Lib*. 3. *Cap*. 5.
(a) *Georg*: *Agricol*: *de Fossilib*: *Lib*. 4. *pag*. 233.
(b) *Gvagninus*. *Chron*: *Sarm*: *Lib*. 4. *Par*. 2.

lucrum ponebant in piſcatione ſuccini Modum àutẽ hujus piſcationis laborioſum deſcribunt fuſè Authores (c) quos vide.

Æſtijs etiam (licet mediatè) *Sudenos* videtur conjungere *Tacitus*, nam mores utrorumq; ponit uniformes. Quod frumenta ſererent, Terramq; pro Dea colerent, & fuſtibûs aduſtis, frequentiùs, quàm ferro, pro armis uterentur. Adeoq; *Sudeni* a *Sudibus* latinum nomen acceperunt abaliis forte dicebantur *Suardones*. Rem ſingularem donatam à natura eſſe his populis annotat Tacitus, quod Mare vicinum fluctibûs tumens, in littora eorum ſuccinum proijciat. Jllud ab Incolis *Gleſſum* vocatur. Ex qua appellatione arguunt Germani, hæc littora ab eis antiquitus culta fuiſſe, nam *Gleſſum* ex Germanico *Glaſſ.* Sc: *Vitrum* deducitur, quod electrum inſtar vitri, perlucidum ſit. Sed ipſe Tacitus ſat innuere videtur, non vitriformem ſpeciem, in ſuccino, & nomine ipſius, conſideratam fuiſſe; ſed materiam, ex qua coagulabatur, ſc: ex ſucco & Reſina arborum (ut ipſe putavit) *gleſſum* fuiſſe compoſitum. Succus autem arborum vitri formam nullatenus imitatur. Adeoque propinquiùs accedit derivatio à Slavonico *Hley* vel *Gley* (quod Polonice *Klij* enuntiatur) *ſuccum, gluten, gummi, bitumen*, ſignificante: Jdeoq; ſuccinum ratione materiæ ex qua fieri credebatur forte *glejum* vocabant accollæ, ſed tandem mutato jota in *s*. ex *Glejô*, evaſit *Gleſum*. Littora Maris Baltici, etiam tempore Plinij, maximè appetebantur à Germanis (uti ad manuſcriptum Codicem ejus textum emendat *Dechalampius*) Jlluc ſvos mercatores mittebant, qui fragmenta ſuccini in *Pannoniam*, deinde ad *Venetos*, ſive *Henetos* (ijdem erant cum Jllyriis) deferebant: ibiq; circa Mare Adriaticũ diſtrahebantur. (d) Sed & aliis diverſis tractibûs, in vicinas oras, exportabatur ſuccinum.

Sudenorum Gens

Succini unde nomen ſumptum.

(c) *Anonymus Lib. de Rar: Europæ & Sin. Cap.* 31.
(d) *Plinius Hiſt: Natur: Lib.* 37. *Cap:* 3

§. 10mus.

Jdeo verò à Mercatoribus Succinum, usq; ad Henetos deportabatur, nam in magno pretio, succini frusta, fuerant apud Romanos, præcipuè si in illis reperiebantur aliqua insecta clausa, in quæ jucundissimè lusit *Martialis* & quidem de *Vipera* succino inclusa. (e)

Flentibus Heliadum ramis, dum vipera serpit
Fluxit in obstantem, succina gemma feram.
Quæ dum miratur, pingvi se rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu
Nec tibi Regali placeas Cleopatra sepulchro
Vipera si tumulô Nobiliore jacet.

Jdem *Api* succino circumseptæ epigramm addit (f)

Et latet, & lucet, Phäëtonti de condita gutta
Ut videatur apis nectare clausa suo
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum
Credibile est ipsam sic voluisse mori

Formicam etiam succo electri clausam simili metro laudavit (g)

Dum Phäëthontea formica vagatur in umbra
Implicuit tenuem succinam gutta feram.
Sic modò quæ fuerat vitâ contempta manente
Funeribûs facta est nunc pretiosa suis

Romanis Succinum in pretio. Jdem fatetur, monilia ex succino portata fuisse à Nobilibus puellis. (h) De illius formatrice natura, plura scripsere Authores. (i) Non unicum vero tantum littus Æstiorum, succinô

(e) *Martialis Lib.* 4. *Epigr:* 59.
(f) *Martialis Lib* 6. *Epigr:* 15
(g) *Martialis Lib.* 4. *Epigr:* 32.
(h) *Martialis L.* 2. *Epigr:* 9. & *L.* 3. *Epigr.* 93 *Plinius. L.* 37 *C.* 3.
(i) *Plinius Lib.* 37 *Cap:* 3 *Diodor Siccul. Lib.* 5. *Cap.* 9. *Dioscorit. Lib.* 1. *Cap.* 93. *Brassavol: Agricol.* &c:

in

invento cohonestatur, sed totum, quod Baltico Mari adhæret, circa *Pomeraniam*, *Prussiam*, *Samogitiam*, *Livoniam*, imo, & circa ostium Vistulæ. (k)

§. 11mus.

Helvecones Tacito (l) *Alveones* Ptolomæo, *Hilleviones* Plinio, (m) *Mutius* corrupte *Helvetianos* vocat, sed *Elvingones* Colero, & Ferrario, optime dicti putantur. Populi antiquitùs Prussiam inhabitantes supra Vistulæ ostia. Hi, conditæ Urbi nomen suum dederunt, *Elvingam* appellando, quam nos *Elbląg* dicimus, *Hockierlandia* verò postea dicebatur hæc Provincia. (n) *Nonnulli Populi Prussiæ.*

Nabarvali supra eandem ripam Vistulæ habitarunt, & Ramum sive alveum hujus fluvij (qui *Nogat* dicitur) occupabant. Diversis nominibûs appellabantur *Moravani*, *Marahabitæ*, *Mahaurani*. Sed omnes derivationes à vicinia maris desumptæ quasi diceres *Pomorzanie*. Nil speciale de illis narrat Tacitus nisi, quòd Sylvis & Flùminibùs munirentur, & Terram pro Dea colerent. (o) Ibi tandem *Magdeburgum*, sive *Malborg* Civitas insignis condita, cui imposita fuerat Arx munitissima, ab *Hermano de Helndrig* Magistro Ordinis Teutonici. Jn Templo ad latera Majoris Altaris, positæ fuerant duæ candelæ cum lichnis ferreis, ad denotandum, tunc Arcem, capi posse, quando hæ candelæ arderent (p) Provincia tota dicitur *Pomesania*, à *Pomerania*, unà literà differens.

W Hi

(k) *Viae hic Par*: 3 *Cap* 10 § 2.
(l) *Tacitus de Morib*: *Germ*: *Cap*. 43.
(m) *Plinius Lib*: 4 *Cap*. 13.
(n) *Gvagninus Chron*: *Sarm*: *Lib* 4 *Par* 3.
(o) *Tacitus de Morib*: *Germ*: *Cap* 40
(p) *Paprocki Hort*: *Regij*: *L*. 6. *Gvagninus Chron*: *Pol* *L*. 4. *P* 2.

Hi, aliiq; plures Populi, per *Prussiam* & *Samogitiam* extensi, *Venedi, Veneti, Heneti, Winiti,* aliquando dicebantur. Licet *Venedos* specialem quemdam Populum Germanis adnumeret (cunctanter tamen) Tacitus. (q) Verùm Plinius *Venedos* Sarmatis adjungit, & utramq; Gentem úsq; ad Vistulam fuisse extensam dicit. (r) *Crantzius* fatetur ante Teutones, toto illo tractu, per littora Maris *Sarmatas* mansisse, & *Vandalico* idiomate usos fuisse. (s) Sed & insignium Civitatum appellationes testantur, Gentem, aut Jmperium *Venedorum* latissimè fuisse extensum. Nam *Windaw* in *Curlandia*, *Venden* in Livonia *Uschenvenden* &c: Jtem *Sinus Venedicus* (quem Plinius *Clylipenum* appellat) (t) non aliunde nomen sortiuntur nisi à *Venedis* per has Terras diffusis. (u) Jmo *Venedos* cum Sarmatis, & Slavis, adeò fuisse confusos primitus probat *Hartknoch* ut ad Tanaim usq;, & per *Moldaviam* iidem populi, & ejusdem idiomatis esse crederentur. (w) Sed videtur sub appellatione *Venedorum* etiam *Henetos* comprehendisse, qui ad Pontum Euxinum in Asia minori in *Paphlagonia* habitarunt, Gens, pariter Scytho-Sarmatica. Hi Trojanis auxiliò fuerunt. Sed Rege *Philemone* amisso, ab *Antenore* Trojano deducti sunt circa Mare Adriaticum; Et pulsis *Euganeis* antiquis incolis, terram possederunt ac mutatò H. in V. dulciori accentu *Veneti* sunt appellati. (x) Dicunt nonnulli, quod è Patria propter seditionem, fuerint sedibûs suis pulsi, tandem post varios errores, us-

Venedi quam amplus Populus.

Ab Henedis Veneti, & Venedi.

(q) *Tacitus de Morib: Germ: Cap.* 46.
(r) *Plinius Lib:* 4. *Cap:* 13.
(s) *Crantzius Lib.* 7. *Vandal Cap* 5.
(t) *Plinius Lib.* 4 *Cap:* 13.
(u) *Cluverius Germ: antiqv: Lib.* 3. *Cap.* 44.
(w) *Hartknoch in Orig: Pomer. Num: II.* & *in Pruss: veteri C.* 1. 2. 4.
(x) *Vide Strabonem Lib.* 4. 5. 13. *Trogum Lib.* 20. *Plinium Lib.* 3. *Cap.* 19. *Livium princi: suæ: Hist: Silium Ital: Lib.* 8.

usq; ad Mare Adriaticum pervenerunt Alij verò *Heneti* diversa occasione, versus Mare Balticum processerunt, & utrique in amplissimos Populos, sunt multiplicati: altera pariter appellatione *Henetorum* in *Venedos*, *Vinidos* &c: mutati. Et quoniam ultra Albin extendebantur ad confinia Germanorum; & illis quandoq; sociabantur (præcipuè contra Romanos) ideo à Ptolomæo, & Tacito, Germanis adscribuntur. *Sanadon* Venedos putat habitasse in Russia occidentali. Et certe Gentis multitudo atq; dexteritas limites Poloniæ Nostræ excessit, longeq; ac late diffusa est, quod testantur memorabiliores Civitates, & Territoria ab illis nomen mutuata. *Vindonese Castrum* in Helvetia. *Vindisch* dictum: *Vindisch Gratz* Civitas Carniolæ *Vindisch land* Regio Pannoniæ, & Pars Jllyrici: *Vindisch Matray* Oppidum Norici *Wendische Mark* seu *Marchia Venedorum* Regio Croatiæ finitima, *Wendeberg* seu *Suditi* Montes Germaniæ inter Franconiam ad occasum, & *Voitlandiam* ad ortum; & alia plurima loca à *Venedis* vel à *Vandalis* Collimitaneis, suas denominationes assumpserunt. De quibus luculenter testantur Authores.. (y) *Venedorum colonia in Germania.*

§. 12dus.

In altera Rippa fluminis Vistulæ, habitarunt *Wandali* (Gens Orbi notissima) ubi nunc Palatinatus *Jnowroclaviensis*, ac Pars Prussiæ, circa *Thorun*, *Jnowroclaw*, *Culmam* &c: *Sanadon* illis partem Pomeraniæ, & Marchionatus Brandeburgici adjicit. Sed quia magnam partem terræ occupabant supra Vistulam, ideo ab ipso flumine *Vandali* sunt appellati. Tamen, & à Protoparente suo *Wandalo* Filio *Negnonis* qui erat Abnepos *Vandali supra Vistulam.*

(y) *Cluverius Introduc: geogra Lib.3 Cap 12 § 2 Tob. Phanner. de præcip Germ: Princip: Gen Cap 1. Jacobum Spener art: Herald Par. spec: Rhenanus Rer. Ger nov antiqv Lib. 1 Tit:* Venedi Slavi in Germaniam & *Lib 3 cum notis Ottonis.*

Noë denominari potuerunt, una cum fluvio, quod hic vel ipse, vel Filij ejus consederint. (z) Alij, a *Wandalo* quidem, *Wandalos* ortos affirmant, sed iqsum, *Tuisconis* Filium, & *Manni* Nepotem ex *Beroso* dicunt. Et quamvis multi prædictas narrationes, Poeticas magis, quàm Historicas judicent; illas quidem ego nec approbo, dico tamen per hæc antiquitatem Gentis satis commendari. Jlla verò quæ à *Dlugosso* nostro, aliisq; dicuntur, quasi fluvius, & populus, nomen acceperint, ab eo tempore, post quam *Venda* Craci Filia, devictô *Rithagere* Principe, votum Dijs explens, se se in *Vistula* demerserat, minimè conveniunt. *Vendam* enim, seu *Vandam* vixisse sæculo septimô Historicorum testimoniô constat, & ipse Dlugosz fatetur. (a) Cum jam *Wandali* sæculo quarto, vel (juxta alios) sæculo tertio, vocati à Stillicone, *Moguntiam*, *Argentoratum*, *Rhemos* &c: vastassent, *Svevos* in Hispania. *Romanos* in Betica, vicissent, & in Africa Regnum, ex suo nomine, instituissent. (b) Meminit illorum antiquissimus Christianorum Pòëta unà cum alijs Scytho-Sarmatis. (c)

Deniq; Romanus, Daca, Sarmata, Vandalus, Hunnus.

Vandalorum mala analogia Germanica.

Multo minus placere potest illorum Sententia, qui *Wandalos* & *Venedos* à Germanico *Wanden* nomen accepisse dicunt, quod idem est, ac *peregrinari* atq; *Vagari.* (d) Quomodo namq; fieri posset, Vagos ita famosos fuisse, ut ab eis certus succursus Romano Jmperio peteretur? Quomodo? sub uno Duce tantus numerus colligi posset, qui tot Regnis occupandis suf-

(z) *Dlugosz Hist. Pol: Lib* 1.
(a) *Dlugosz, Hist: Polon L.* 1. *Gvag: Chron:* Sarm *L.* 1 *P* 1 *Cromer &c:*
(b) *Isidor in Chron Procopius de Bell: Vandal Rhenanus Rer. Germ: Lib.* 1. *Grotius Hist: Vandal. Gott: &c. Spenner in Sistem. Gener. Hist.*
(c) *Prudentius Lib.* 2. *cont: Simach.* ℣. 87.
(d) *Colerus in Notis ad Tacit: Germ. Cap* 46.

ſufficeret? niſi prius leges, Principes, & Regulas politiei, haberet; quibus obediret. alias vagabundus populus facilius colligi poſſet, quàm regi, & quemadmodum brevi tempore conflueret, ita minima occaſione diſpergeretur. Forte Hiſpani, Jtaliq; Scriptores, id minime ſiluiſſent, ut cùm alia in contemptum Gentis ſcripſerint, hoc unum omitterent? Cum autem de potentia, & varijs expeditionibus *Vandalorum*, Regimine in Jtalia, Hiſpania, Germania, & Affrica, apud Hiſtoricos, claræ ſint, & frequentiſſimæ narrationes, illas hic commemorare ſuperfluum judico.

Hoc autem tanquam certiſſimum adduco *Vandalos* nunquam Germanos fuiſſe aſt Slavos. Gratis ſibi adſcribunt gloriam gentis, quam depreſſerunt omni humanitate exuta. Etenim cùm per emigrationem in diverſas Europæ partes imminuti fuiſſent incolæ *Uandaliæ antiquæ*, tum propter frequentiá bellá contra Danos geſta, terra colonos paucos haberet. Senſim germani ſe immiſcebant reſiduis Vandalis, eoſq; diverſis artibús minuebant. Reliquos *Henricus Leo* Dux Saxoniæ vicit. Cum autem in *Stralſundam* de novo ædificatam plures Saxones commigrarunt, ſenſim etiam in *Lubecam*, *Roſtochium* &c: & alia loca intromiſſi ſunt, ſeq; ülterius extendentes Terram Vandalorum occuparunt. Tanto odio adverſus antiquos incolas concepto, ut eos ab omni ſocietate excluderent, qui Teutonicis Parentibús, non eſſent nati. Oppreſſi ab advenis Jncolæ, potentiores, nomen, & mores germanorum cogebantur aſſumere: ne hæreditate Patrum privarentur. Ruſtica plebs duriſſimum jugum fugiens, aut in vicinas Slavorum terras diſperſá, aut implacabili furore Germanorum, contra Slavos, ſemel ſuccenſo, & nunquam extingvibili, ſuccumbere debuit. (e) Hoc eſt tremendum Divinæ Omnipotentiæ opus, quod

Wandalorum reliquiæ oppreſſæ à Germanis

(e) *Crantzius Vandal L.4. C.36. & L.5.C.40. & L.6 C.24. & L.7.C.10.*

quod nunquam admirari desinam, quod modicam hanc Slavorum portionem elegerit Deus ad vasta Regna evertenda, Provincias subjugandas, Imperia fundanda. Mox famosissimam per Europam, & Affricam, Gentem, ubiq; trophæis, ac victoriis insignem, terræ allisit, & omni decore spoliavit; ut nullum amplius, tam Nobilis gentis vestigium remaneat; præter nudam memoriam in libris relictam, *Vandalos aliquando fuisse*! & fumum tituli, quem sibi Duces Megapolitani, & Reges Daniæ vendicant. Admiranda certe infinita DEI omnipotentia! nam & Tyrrani ridiculi ejus, quæ Regnum transfert de Gente in Gentem; dicendumq; *Quoniam tanquam monumentum Staterae, sic est ante Te, Orbis, & tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* (f)

Vandalino nulli

§. 13tius.

GOttones, sive *Guttones* vel *Gytthones* habitabant ubi nunc *Dantiscum* & *Pomerella* quasi in Hersoneso magna, Maris Baltici. Prope *Lygios*, eos reponit Tacitus (g) addit eos suo tempore *paulo adductius regnasse, nondum tamen supra libertatem.* Forte de eo tempore loquitur quo *Marobodous* Romanis se subdiderat. (h) Originarij Gothones fuerant circa Danubium. (i) Huc verò (more antiquarum Gentium) excurrerunt Sedemq; fixerunt. *Gothos* sive *Gothones* ponit *Sanadon* in Prussia extensos a Dantisco, usq; *Culmam*. Ab his *Gothinos* videtur distingvere, quos ad fontes *Vistulæ* & *Oderæ* collocat inter *Teschem* (forte Teszyn) in Silesia, *Medzyrzyc* in Moravia, & *Bielsko* in Polonia. Solus tamen atq; unicus, &

(f) *Sap* 11 V. 23 (g) *Tacitus de morib: Germ: Cap* 43.
(h) *Tacitus Annalium Lib.* 2 *Cap.* 62.
(i) *Vide hic Par.* 3 *Cap* 10. § 8.

& dividit & adeo removet *Gothones* à *Gothinis*. Puto ſatius hic locandos, ubi etiam *Ptolomæus Gotthos* pro *Guttis* & *Gytthonibus* ponit (k) Plinius eodem ordine populos diſtribuit ſicut nos licet eos Germaniæ adſcribat. (l) *Pytheas Maſſilienſis* (qui ducentis quinquaginta annis ante Chriſtum floruit, & univerſam Europam luſtravit) *Gotthos* ſive *Guttones*, non in *Scanzia* Inſula, ſibi ignota, ſed in littore maris Svevici locat. (m)

Fabuloſa migratio Scandinavorum.

Gloriam Gentis ſuæ Svedicæ commendare volens *Joannes Magnus* dicit: *Gotthos* anno poſt Diluvium 836. ex Scandinavia egreſſos fuiſſe Duce *Bericone*, & Scythas ſubjugaſſe. Ac deinde aſſumpto eorum nomine anno 995. *Vexorem* Regem, viciſſe ubi amænitate loci detenti, diu manſerunt, nec forte rediiſſent, niſi uxores relictæ illis comminatæ fuiſſent, à finitimis ſobolem quæſituras, ne Gotthorum nomen pereat, niſi redirent. (n) Hæc narratio ſe ipſam tollit.

Primo, qvia eo tempore ſc: anno 836. Scandinavia (ut pote remotiſſima Septemtrionis Regio) vix frequentari potuit: quomodo igitur tam multi poterant colligi ut ſufficerent & longinquæ expeditioni, & ad cuſtodiendas domos, atq; ſarcinas manſioni, (omnes namq; migraſſe, ſenes, debiles, mulieres, atq; parvulos vix credibile eſt) Numeroſiſſimum autem exercitum requirebat hæc expeditio, ad debellandos Scythas, totum tractum, inter Mare Svevicum, Pontum Euxinum, & Mare Ægeum, aq; Jonium occupantes. Jpſa verò ratio ſvadet, migrationem Gentiū, ex multiplicatione illarum ortū habuiſſe. Adeoq; non prius Incolæ receſſerunt à *Boſporo Thracico*: niſi, poſtquam terra, illos amplius non ſufficeret alere. Senſim igitur pro-

Jmpugnatur Magnus.

(k) *Ptolomæus Geograph:* Lib. 2.
(l) *Plinius* Lib. 4. Cap: 14. & Lib. 37. Cap. 2.
(m) *Pytheas Maſſilienſis apud Plin: Hiſt. Natur:* L. 37. C. 11.
(n) *Joan: Magnus* L. 1. C. 25. *Vide etiam hic* P. 3. C. 10. §. 8. *ſeqq.*

procedebant, supra Pontum, ac flumina, nec prius arare cœperunt littora Maris Svevici, antequam totum prædictum spatium intra dissita maria implevissent. Neque prius Scandinaviam incolere poterant: nisi ad tranandum illuc, aut belli vis, aut multitudo populi, aut quispiam casus impulisset. Hoc verò totum accidisse intra sat modicum tempus octingentorum annorum post diluvium imperceptibile. Cum vix posset probari eo tempore in Scandinaviam, novos Colonos advenisse.

Secundo impugnatur.

Secundo, Negare haud potest *Magnus* littora *Sinûs Venedici*, non à Scandinavis sed ab aliis populis occupata fuisse! hoc dato! consideremus maximam illam distantiam, inter prædictum sinum, & *Vexoris* imperium. Ergone sola determinatione voluntatis; se ab uno, in aliud extremum transtulerunt, non pertransito medio? Itane salvi, per plurimas Gentes totum spatium prædictum occupantes, pansis vexillis, inflantisque tubis, semper ovantes, usq; in Ægyptum descenderunt? quos ipsæ sylvæ, montes, immensæ paludes, rapida flumina, & & cætera longinquæ viæ incommoda, absq; obviorum incolarum armis consumere poterant. *Darius* grandi exercitu instructus, post deditionem *Gettarum*, frustra tentata virtute Scytharum, inglorius, & vix salvus redire coactus fuit: pro solis verò Scandinavis, ipsi Dij pugnarunt? Forte per solitarios recessus & furtim usq; in Thraciam pervenerunt. Unde tanto exercitui, ad subjugandas tot Gentes, sufficiens commeatus? Certe: sine raptu, & obviorum vexatione, necessitati provideri haud potuit? neque tam alto somno stertentes Incolas repererunt qui pro focis ipsis arma non assumerent, & vim vi repellere negligerent. Cum igitur, nec forti brachio per tot Gentes, pauci admodum (ut dictum est) Scandinavi viam sibi in alterum extremum Scythiæ parare valuerint. nec furtim

illuc attingere potuerint; obsidente totum tractum Gente Scytharum numerosissima, æq; ac bellicosissima (o) expeditio hæc Scandinavorum, bello Cyclopum adjungenda videtur.

Tertio. Pingvis est error Magni, quasi Scandinavi subjugatorum *Scytharum* aut *Gotthorum* nomen assumpsissent. Jmpugnat enim hæc fictio, usum constanter in Orbe retentum, ut gens Victrix subjugatorum nomen assumat, & non satius suum eis imponat. *Alexander* mutavit ad tempus habitum Græcorum in Persicum, sed ut Macedones, Persas juberet nominari nec *Hermolaus* exprobravit. (p) Scipio honoris gratia dictus est *Africanus*, sed solus. *Carthago* Romana Colonia, non Romani Carthaginenses appellati sunt. Quid ergone vel ipsius naturæ stimulum, minimè senserunt Scandinavi? ut abjecto paterno nomine *Gotthos* se dici paterentur. Jmo cur non alterius Gentis vicinioris (si puduit Scandinavos dici) & non extremæ Gothorũ nationis nomen sibi adsciverunt.

Relatio Magni iterum refellitur.

Quarto. Hallucinatio *Magni* pluribus se prodit. Jn bello namq; contra *Vexorem* Scythas appellatos fuisse dicit. (Et certum est Scythas ibi pugnasse teste *Herodoto*, *Justino* &c. sed veros, non fabulosos) Deinde subjungit ex Ægypto revocatos fuisse ab uxoribus, comminantibus mutationem virorum, ne Nomen *Gotthorum* intereat? Unde hic zelus conservandi nominis? cum jam generali *Scythica* appellatione subpressum fuerit? Redierunt tandem ad mentem! & quòd, armatæ, a viris defensæ, impetrare haud potuerunt; imbelles atq; inermes evicerunt, ut multo tempore neglectum nomen Gotthorum reassumatur. Fabulis ergo plena sunt, quæ Magnus scribit, & aliud clarè potest colligi à relegente Herodotum, atq; Justinum. *Gotthi* namq; Scythæ fuerant (ut dixi supra) & post

Ipse Magnus sibi contradicit.

(o) *Vide hic Par: 3. Cap: 10 §. 7. & seqv.*
(p) *Curtius Lib. 8. Cap. 25. &. 26.*

Gutthones Populi. Nativitatem Salvatoris, ex primæva Sede circa Danubium, in *Jtaliam*, *Galliam*, postea in *Germaniam* transierunt. (q) Sed jam cultiores ut pote legibûs scriptis instructi, quas antea, moribûs, & consvetudine tenebant. (r) Habitarunt eo tempore in Regno Daniæ *Albioniei* qui ex Anglia pulsi versus *Cimbricam Hersonesum*, *Scandinaviam* Jnsulam occuparunt postea in *Gotlandiam* venerunt (ex Germanico *Terram bonam*) quam colentes cum tributa Regi *Theodoto* negarent supervenientibus *Gotthis* ex Jtalia, loco cedere debuerunt, qui terram illam *Gotthiam* appellarunt. (s) Gottlandia deinde Germinicè dicta fuerat, eò facilius, quòd nomen antiqvius *Gotthiæ*, cum *Gotland* propius conveniret. Serò tamen, hæc appellatio in usũ venit: ut colligere poteris ex mox dicẽdis. (t) Jgitur *Gotthi Svevici*, posteriores sunt *Gyttonibus*, qui in *Pomerella* fuerunt, ut pote, ab immemorabili tempore ibi manentibûs.

Ulmigeri pulsi. Jn eorum vicinia fuerat Colonia *Ulmigerorum*. Hi tamen, adeò moribûs & conversatione, cum finitimis conveniebant, ut à *Gytthonibus* minus different. Hos *Ulmigeros* advenientes *Albionei*, sive *Scandinavi*, quosdam pepulerunt, alios sibi incorporarunt, Ejecti *Ulmigeri* in Germaniam recesserunt: & *Ulmam* Civitatem condiderunt. (u) *Scandinavi* verò cum suo Duce *Bruteno*, ultra Vistulam procedentes, *Bruteni* primò, deinde *Prutheni*, tandem *Prussi* sunt appellati.

§. 14tus

(q) *Rhenan. Rer. Germ antiqv. nov. Lib. 2. & 3. pag. 184. & 247. Grasserus in Hist: Exot.*

(r) *Jsidor Chron Gotthor. Æra. 504.*

(s) *Paprocki Horti. Reg. Lib. 6.*

(t) *Vide hic Par. 3. Cap. 14. § 17.*

(u) *Limnæus Enucl. Lib. 4. Cap. 53.*

§. 14tus.

Relicta Sede *Gottinorum*, occurrunt in Pomerania *Heruli*, qui Insulam Rugiam quondam possederunt. Si tamen verum fateri debeam, nec Rugiæ nec *Herulorum* ulla natio, antiquitùs in his Oris nota fuerat (Rugios enim antiquos, ab his prorsus esse diversos dixi hic, §. 6to:) Certe modernæ Rugiæ Populi erant innominati tempore Taciti. Unde illos *Insulanos* tantum appellare viderur locum ostendens, non Populum, his verbis *Est in Oceano* (ideſt in Mari Baltico, de quo liquitur Tacitus) *Vastum nemus dicatumq; in eo vehiculum veste contectum, uni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamq; bobus fœminis, multa cùm veneratione prosequitur. Læti tunc dies festa loca, quæcunq; adventu hospitioque dignatur, Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum, pax, & quies tunc tantum nota, tunc tantum ornata; donec idem Sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam, Templo reddat. Mox vehiculum, & vestes, & (si credere vellis) Numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hic terror Sanctaq; ignorantia quid sit illud? quod tantùm perituri vident.* (w) Hæc solùm absq; nomine de Rugiæ Jncolis antiquis, apud veteres. Deam verò suppono fuisse, aquilam quæ *Stanitia* dicebatur, magnitudine, ac colore cæteris eminens; cui tantum venerationis tribuebant Rugienses, quantum omniū pene Deorum Majestas obtinuit. (x) *Heruli* serò huc venerunt post *Odoacrem* Regem suum *Ravennæ* interfectum. Ille autem quis fuerit? minus probant Rerum Gorthicarum Scriptores: ignotum, per æq; ignotum, de-

Rugiæ Insulæ Idolatria.

Odoacer Rex Herulorum.

(w) *Tacitus de morib: Germ: Cap: 40.*
(x) *Saxo Gram. Rer. Dan Lib. 14.*

claran:es; *Regem* fuiſſe *Herulorum*: qui pariter ignorabantur. Omnibus melius id demonſtrat *Procopius* antiquam ſedem *Herulorum* fuiſſe ultra Danubium) (y) ſcripſerat autem Libros Conſtantinopoli ubi Præſidem agebat) quo indigitat Ruſſiam. *Longinus* autm (quē & *Długoſſum* dicimus) clare dicit *Odoacrem* Ruthenum fuiſſe, ac ex Ruſſia populum eduxiſſe auctum *Herulis*, & *Tyringis* qui ſuperfuerant ex Attilæ exercitu Anno Chriſti 509. Leone I. Summo Pontifice. Huic *S. Severinus* Noricorum Apoſtolus, cùm ab eo benedictionem poſtularet ſeq; (intrando Cameram) profunde inclinaret (eximiâ ſtatura id exigente) Regnum Jtaliæ prædixit; dicens *Perge Odoacer in Jtaliam! viliſſimis nunc pellibûs tectûs, verum multis, propediem, pretioſa multa, dilargiturus.* In Jtaliam penetrans *Ticino* capta *Oreſtem* Regem Gotthorum occidit. *Augaſtulum* ad abdicandum Imperium compulit Primusq; ex barbaris (ita extranei à Romanis appellabantur) finem Regno Jtaliæ, & Jmperio Occidentali fecit. Jtaliam totam quatuordecim Annis quiete gubernavit in Regimine prudens, diſcretus, & juſtus; adeo: ut *Brahilam* ſibi familiarem Comitem (cujus nominis extat quoddam veſtigium in Palatinatu Bracłavienſi oppidum *Brahiłow* dictum) Jmperium ſuum quodammodo decretantem, interficere non dubitaverit: Regis tamen Jtaliæ titulum modeſtè reſignavit. Ad *Aquilejam* tandem à *Theodorico* Rege Gotthorum victus Romam non admiſſus: Ravennæ triennalem Obſidionem fortiter ſuſtinuit. Deinde deditionem facere coactus, pace compoſita, ad convivium a *Theodorico* evocatus, ibidem trucidatus eſt, Regnumq; Jtaliæ à Ruthenis, ad Gotthos tranſlatum eſt. (z) Exercitus pars magna in Sla-

Odoacer Rex Herulorum ex Ruſſia ortus.

(y) *Procopius Hiſt: Vandal: Lib* 1. & 2.

(z) *Długoſz Hiſt: Pol. Lib.* 1. *pag.* 23. *Gvagninus Hiſt Sarm: Lib.* 3. *Par.* 3. *Sigonius Jmper: occid. Lib.* 14 & 16. *Crantzius Vandal Lib.* 1. *Cap* 36. *Bonfinius Lib* 7. *Decad.* 1.

Slavoniam rediit, & inter Vistulam ac Oderam fluvios, Maris Baltici littora possedit.

§. 15tus.

Errant autem, & Historiam confundunt, qui *Odoacrem* hunc. *Etelrugiorum Turcilingorum* Regem fuisse dicunt; eumq; *Rugios* sedibus pepulisse, captivo Rege illorum *Feretko* sive *Feba*, ejusq; uxore *Gisa*, cujus Filius *Fridericus* in Messiam fugiens impetratis à *Theodorico* Copiis eum iterum Rugia ejecerat, vincendumq; in *Theodorici* arma impulerat. Hæc bella pessimè confunduntur, cum gestis *Odoacris* Regis Herulorum, cum illorum non meminerint antiqui Historici. (a) Alius hic *Odoacer* seu potius *Ottocarus* fuerat Rex *Etelrugiorum* & *Turcilingorum* qui fuerant strenui Milesii, proximi *Quadis*. Qui verò *Fridericum* restituit *Theodoricus* non erat Rex Gotthorum, sed *Bernensis*: neq; in *Mœssia* sed in *Misnia* (quæ nunc est pars Saxoniæ) mansit. (b) Hic verò *Odoacer* de quo loquimur, usq; ad obitum, pedem ex Jtalia non movit. *Heruli* autem victo suo Rege, dispersi, alii quidem in Jtalia manserunt, apud Bellisarium cum Ducæ *Phara*, cæteri apud *Narsetem* stipendia meruerunt, & contra Gothos militarunt (c) Postea convasatis rebus Germaniam pervagarunt, & Jnsulam Maris Baltici, partemq; Pomeraniæ occuparunt. Quam etiam (quod *Russi* essent) *Russiam* dixerunt, quæ vox in *Rugiam* degeneravit. Multa illis bella cum Ducibus *Megapolitanis*, & *Danis* diverso Marte, gesta sunt. Ad fidem Christianam conversi cum Rege suo *Gete* à Monachis

Rugii ex Jtalia redierunt in Rugiam.

(a) *Vide Procop: de Bell: Gott. Lib. 1. Jornand: de Reb. Gelt: Cassiodor: in Chron.* (b) *Bonfin: decad: 2. L. 8. Paprocki Hort: Reg: L. 4.* (c) *Procopius Hist: Vandal: Lib. 2.*

chis *Corbiensibus* ex Saxonia venientibus, eruditi, & baptizati; Cultum *S. Viti* tenerrimè amplexi sunt. (d) Sed brevi post ad idolatriam reversi, in contemptum Religionis, & *S. Viti*, Statuam giganteam quatuor collis, totidemq; capitibus deformem, tanquam supremum Deum coluerunt. Idolum hoc manu tenebat poculum vini, anno integro, ex cujus diminutione, Sacerdos majorem, vel minorem fertilitatem augurabatur. Placenta melle mixta, eidem Idolo offerebantur, à tergo cujus Sacrificulus consistens quærebat, an ab adstantibus videtur? si responsum, se videri; optabat tantam frugum abundantiam, ne videri possit. Trecenti equi totidemq; equites huic Idolo famulabantur. Sed & equus albus alebatur, quem nemo conscendere ausus, præter supremum Fani Præsidem. Credebantq; Deum, hoc equo uti, ad terrendos eorum inimicos. Sæpe etiam, mane, totus sudore perfusus, & luto spurcatus apparebat, quasi ex longinquo itinere rediens. Hunc Deum *Zwante Weit* sive, *S. Vitum* appellabant, & more gentili (de quo supra Tacitus) reassumptò, nedum à Mercatoribus, pro Oblatione Deo suo, primitias mercium extorquebant, Sed etiam eidem Idolo unum ex Christianis annuatim litare consveverunt. (e) Slavi omnes illuc concurrebant responsa accepturi; unde forte famosum apud veteres Polonos Idolum *Swist* ab hoc originem suam sumpsit, pro S. *Wit.* *S. Vitus*, abbreviatè, *Swist* unum nomen componendo. Nonnulli tamen contendunt (f) *Zwantevitum* ante S. *Vitum*, in Rugia cultum fuisse: quoniam plura Idolorum nomina in *Wit* terminabantur, quæ

Ad Idolatriam redeunt.

(d) *Pantaleon in Chron. Spenner: Silloge Geneal: Hist: in Famil: Vand. Baronius in Annal. ad an:* 875.

(e) *Helmoldus Annal. Slav. Lib.* 1. *Cap.* 6. & *Lib* 2 *Cap* 12. *Vossius de orig.* & *Progress: Idol: Lib* 1. *Cap.* 41. *Crantzius Vandalia Lib* 2. *Cap.* 25. & *Lib.* 5. *Cap:* 15. 16.

(f) *Masius antiqv: Meklemb: Cap* 2. *Franc: alb: Aepinus Differt. de Meklemburg: a Gentilismo conversione.* §. 12.

cum

cum *S. Vito* nullam connexionem habuerunt. De forma etiam Idoli quidam diſcrepant Authores. Dubitando an immediate deſcripta, an illa quam ponit Saxo Grammaticus, ſit certior. Jlle verò dicit *Zwantevitum* ſtaturâ Giganteâ fuiſſe, ſupra eius collum ſeptem capita, unus vertex claudebat; totidem gladii cum vaginis, uni cingulo ad latus appenſi, dextrâ, mucro nudus. (g) Puto tamen Aquilam fuiſſe conſervatam (ut dixi §. præcedenti) cujus cultum Heruli in Caſtris Romanorum didicerunt. Unde & *Rum nowe* ſeu *Romæ novæ* Dea dicebatur. Cautè verò illam conſervabat Sacerdos, ut tanto majorem Numini conciliaret reverentiam, quantò erat ignotius. Utq; (more antiquorum) non communem Deam cum Romanis, ſed ſpecialem, & Tutellarem, ſe habere crederent. Jlla verò Numina giganteæ Staturæ, Martem & Jovem expreſſiſſe credo. Quæ Numina apud Slavos impenſius colebantur. Rediit autem hæc Jnſula cum Populo ad veram fidem ſub *Jaromiro*. *Wildemarus* autem, ſive *Wladomirus* Danus Idolatriam prorſus ſuſtulit. (h)

Redeuntes ex Jtalia antiqui illi Populi *Heruli*, Civitatem primam in Pomerania condiderunt, eamq; *Rum novo* ſeu, *Rym nowy*: *Nowam Romam* appellarunt, quam *Boleſlaus Chrobry* Rex Poloniæ deſtruxit, Cruciferi eodem locò aliam Civitatem ædificarunt *Heitlingen* ſeu *Swięta Siekierka*; *Sacra Securis* dictam. Jdola etiam ſua *Romowe* alias *Romana* appellabant. (i) Patet ergo Herulos quidem origine Slavo-Scythas fuiſſe, & deinde Rugiam inhabitaſſe; ſed nomen *Herulorum* novum eſſe, & — *Rumowe ſeu Roma nova.*

(g) *Saxo Grammaticus Lib.* 14.

(h) *Kratzius Hiſt: Dan. Lib.* 2. *Cap*: 8. *& Hiſt: Vand: Lib.* 3. *Cap.* 37 *& Lib.* 5. *Cap.* 11. *Saxo Gram. Lib.* 12. *Dubravius Lib.* 1.

(i) *Gvagninus. Chron: Lib.* 4. *in Deſcrip: Pruſs Petrus à Dusburg. Chron: Pruſs Par.* 3. 252.

& quidem latinum (quasi *modicæ possessionis Dominos* diceres) Quod illis tunc impositum fuisse credo, quando in Jtaliam venerunt. Cum enim Patria illorum latinis fuerit ignota videbantur quidem aliquam habuisse ditionem, adèo tamen exiguam & obscuram, ut à Romanis ignoraretur. Jdeo illos diminutivè *Herulos* seu, *cujusdam modicæ terræ Dominos* appellarunt. Non ergo in *Rugia* primitùs sic appellabantur, sed post reditum ex Jtalia. Primi autem Coloni, ante *Herulos*, vel innominati prorsus, fuerant, aut nomen difficile, minùs studiosè annotatum, interijt, eo præcipuè tempore, quando major fuerat usus gladij, quam calami. Jnterea Authorum testimoniò, erant erga exteros hospitales, erga suos verò liberales, ita ut inter eos nullus pauper reperiretur. (k)

§. 16tus.

Ubi nunc existit Pomerania *Carinos* quondam mansisse certum est (*Careotas* vocat Ptolomæus) Hi autem Partem terræ occupabant ubi nunc subsistit *Ducatus Metklenburgensis* (juxta Cluverium jam citatum) Meminit eorum Plinius (l) sed Germanos dicit, seu potius Germanis confines, inter hos

Carinorũ Sedes. & *Gotthinos* aut *Rugios*, *Ulmigerorum* sedem fuisse probabile ut dixi §. 12.

Varini habitarunt ubi nunc *Vismaria*, versùs *Bremam*: Partem Marchionatus *Brandeburgici* occupantes; cis, vel ultra fluvium *Oderam* (quem etiam *Gutalum*, *Viadum*, *Viadrum*, *Svevumq;* vocant) *Althemarus* eos putat in Ducatu *Varmiensi* habitasse, & nomen suum ei imposuisse. Verum hic potius illis locum assignare fas est, in parte Ducatus *Megapolitani* &

Bran-

(k) *Helmoldus Hist: Slav Lib. 1. Cap. 12.*
(l) *Plinius Lib. 14. Cap. 14.*

Brandeburgici. (m) Recesserunt tandem longius à mari, & transmisso Albi prope Rhenum sederunt (n) ubi victi à Francis Childeberti Junioris auspicio Regno illorū sunt annumerati (o) Quemadmodum vero Plinius (minus recte) *Vandalos* & *Carinos* Germanis adjungit. (p) Sic è contra *Varini*, *Anglis* annumerari possunt. *Angli* namq; ad Albim fluvium habitabant, eratq; Pars non adeo magna Populi. Unde & *Angli* à Latinis dicti sunt, quòd *Angulum* seu, Partem terræ, ad Mare Balticum, possiderent. (b) *Sanadon* illos ibi habitasse dicit, ubi nunc Luneburgum, & Meklemburgum, subsistit. In bellis perpetui Saxonum socii, cum illis plurima à Danis perpessi sunt. (r) Pars illorum in illam partē Cymbricæ Chersonesūs concessit ubi usq; hodie inter *Slesvigum* & *Flensburgum* Districtus *Angelen* sive *Anglèn* subsistit. Reliqui sede sua pulsi in Britanniam, suum nomen Classe invexerunt. Testatur id etiam Lex antiquissima *Anglorum* & *Werinorum* id est *Thuringorum*: quæ usq; ad Posteros delata, à Carolò M. fuerat approbata: eadem ferme cum Saxonica. (s) Ex quo colligitur *Anglos* & *Varinos* unam Rempublicam constituisse aliquando: Quia verò Angli Saxoniæ propinquiores fuerant, ideo etiam *Anglo Saxones*, dicebantur. *Angli populus Scythicus.*

§. 17mus.

Infra *Carinos* atq; *Varinos* manebant *Suevi* Partem *Ducatus Brandebûrgici*, & *Pomeraniæ* occupantes ubi *Szczecin* sive

(m) *Tacit: de Morib Germ: Cap. 40 Willichius Bauarandus Cluverius Brietius*

(n) *Procopius de Bello Gotico Lib 4. Cap. 20.*

(o) *Fredegarius in Chron: ad An: 595.*

(p) *Plinius Lib: 4. Cap. 14*

(q) *Tacitus de Morb. Germ. Cap 40 Procop Bell Gottic: Lib: 4 Cluverius Introduc: Geograph. Lib 2 Cap: 23 Polydor Virg L 1.*

(r) *Sànadon in Diction: Geographico. Beda Hist: Eccl: L 1. C 13*

(s) *Spelmanus Gloss. Arch.*

Svevorum Gens. *Stetinum.* Verùm, primis temporibùs totum littus Maris Baltici (licet non ipsi soli) possidebant, saltem tributarium habebant: ut colligere potes ex dictis. Præterea quod nunc Mare Balticum dicitur, antea *Svevicum* appellabatur (t) & *Odra* fluvius quem Ptolomæus *Viadrum* dicit, idem est, cum *Svevo* teste Baudrando. Ego puto Populum antea dictum fuisse *Slevum*, vel *Slavum* quem latini *Svevum* fecerant, faciliori accentu. Confirmari etiam potest ex eo, quòd *Svevus* fluvius, sive *Odra* profluat à Monte *Sevo*, vel *Svevo*, (u) qui nunquam *Sveciæ* adscriptus fuerat, sed inter *Moraviam* & *Hungariam* protenditur, ubi semper Slavicæ Gentes manebant. Plures etiam Authores, Montem *Sevum* esse partem Carpati testantur. (w) Silesiam etiam fluvius dividit mediam, quæ non à *Svevis*, sed à *Slavis* Originem habet, ut patet, tùm ex nomine, tum ex moribus Gentis, atq; idiomate Slavonico, à primis sæculis immutabiliter usq; hodie durante. Plinius. (x) Svevos *Germanos* dicit sed aliquando *Dacis*, aliquando *Hermundinis* confines. Certum autem est *Dacos*, & illorum confinia nunquam Germanorum gentis fuisse. Attamen sub nomine *Svevorum* notior fuit Latinis Scriptoribus Gens diffusa usq; ad Rhenum. Teste Lucano. (y)

Svevi Erant Scytho-Slavi.

Fundit ab extremo flavos aquilone Svevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Multoties Svevi ad Rhenum fuderunt Romanorum acies, & eorum arma gravia fuerunt, Viris bellicosis. (z) Saxonum viginti millia, Longobardis juncta, in Jtaliam perrexerunt: quorum sedes *Svevi* ad Rhenum manentes occupaverunt.

(t) *Tacitus de Morib: Germ:* Cap. 40.
(u) *Solinus Cap.* 23. (w) *Felix Faber Lib.* 1. *Cap.* 10. *Goldastus inter Scriptores Rer: Svevicarum pag:* 17. *Altemarus pag:* 4. *Willichius in Not: ad Tacit: pag:* 34. (x) *Plinius L.* 4. *C:* 12. & 14.
(y) *Lucanus Lib.* 2. ℣. 51.
(z) *Cæsar Comment. Bell. Gall: Lib.* 1 *C.* 37. *Florus Lib* 4 *C.* 12. *Tacitus ann.: Lib.* 1. *Cap.* 44. & *Lib.* 2. *Cap.* 26. & *Lib.* 12. *Cap.* 29.

Sed illis redeuntibûs, cùm loco cedere debuissent, occasionem dederunt, ut mulieres Saxonum, Svevis nuptæ, Paterna hæreditate privarentur. (a) *Svevi* autem ad suos Fratres redierunt. Sed utrum antiquorum *Svevorum* pagi (quorum Cæsar meminit) ad ipsum Rhenum fuerint! an hi ubi ipsis sedem assignamus? Sociando arma Germanis contra Germanos, usque ad Rhenum excúrrerint? determinare non audeo. Pagos tamen numerosos, ac plenos Populo fuisse, ex hoc infertur, quod ex singulis pagis mille viri ad bellum egrederentur, cæteris domi manentibûs, & tàm sibi, quam redituris victum parantibûs; qui verò domi hoc anno manebant; futurò, ad bellum ibant remanentibûs iis, qui præteritò annò in Castris militabant unà cum uxoribus liberis, ac senibus. (b) Nunquam tamen probari potest tanta Gentis amplitudo, quantam adducit *Struvius* qui vix non medietatem Europæ Genti suæ adscribit (c) Contradicente palam Cæsare, ac eodem Tacito, quem ipse sibi suffragari putat, ut legenti textum patere potest. Si enim Gentibus perennem sedem tàm extensam concederemus, quantum se extendit fama illius, vel quo armis attigerunt, Orbis minimè sufficeret. *Svevi* circa Rhenum cum *Sugamoris*, Cæsari se dedentes, in Galliam sunt translati, (d) Svevos Sarmatas fuisse, vel genere, vel societate armorum, contra Romanos dicit Tacitus. (e) Trans Jstrum etiam nonnulli manebant: quibus *Vannius* a *Druso* Rex erat datus. (f) Sed hæc posteriori tempore acciderunt.

Svevorum Gens numerosa.

(a) *Vide Crantzium Saxo Lib. 1 Cap 30.*
(b) *Cæsar Comment: Bell Gall Lib* 4. *Cap.* 1. *sequ.*
(c) *Struvius in Notitia Sveviæ Antiquæ* §. 25. *sequ.*
(d) *Dado in Vita S. Eligij Lib* 1: *Cap.* 3.
(e) *Tacitus Hist: Lib* 1 *Cap* 2.
(f) *Dio in Fragm: Rhen: Rer: Germ: Lib.* 1. *Tit* Svevi, & Gothones inter Marum &c: *Item Tit:* Svevi in Panonia *cum Notis Otthonis.*

CAPUT VI.

Quod in integro Opere est XIV. Partis III.

Monstrantur Sedes Antiquissimorum Populorum, ubi nunc est Polonia, & confinia ejus.

§. 1mus.

Limites Vandalorum, aliquid modernæ Poloniæ sibi vendicasse innui superius. Nunc ad eas Gentes descendo, quæ sub Dominio Poloniæ extiterunt, & modò existunt, aut terram hanc primitùs occupabant. Jnter quos primi *Longobardi* fuerunt. Hos ex *Scanzia* venisse *Paulus Diaconus* asserit. (g) Ad latus maris Baltici ex opposito ostij Vistulæ habitasse probat *Micrælius*, ex monumentis Civitatis *Barth*, quæ ab illis nomen sumpsisse creditur. (h) Cotrarium tamen docet Tacitus, qui eos mediterranea inhabitasse refert. Dicit namq;: *Longobardos paucitas nobilitat, quod plurimis, ac valentibûs Nationibûs cincti, non per obsequium, sed prælîis, & periclitando tuti sunt.* (i) Id autem quod ponit *Paucitas nobilitat*, tam ambiguum est, ut definiri non possit, quid significet? An? quòd pauci fuerint? an? quòd pauci nobiles? an? quòd pauci iiq; Nobiles?

Longobardi Gens bellicosa.

Ego suppono strenuitatem exprimi quod pauci inter enumeratas à Tacito Gentes reperirentur, quos adeò ut Longobardos virtus nobilitaret. Nam *Ariminium* contra potentiam

Mar-

(g) *Paulus Warnefrydus de Gest: Longobard. Lib.* 1. *Cap.* 2. *Grotius Prolog. ad Hist: Wandal. Longob Gottho:* &c *Vide hic Par.* 3. *Cap* 15. §. 5. (h) *Micrælius Chron: Pomer: Lib.* 6.

(i) *Tacitus Germ: Cap.* 40.

Marrobodui viriliter defenderunt. (k) Et *Jtalum* circa Regiam dignitatem conſervandam, opibus refecerunt. (l) Confirmarunt poſtea quantæ virtutis eſſent? dûm à *Narſete* in Jtaliam evocati Regnum inſtituerunt; & illud plusquam ducentis annis ibidem fortiter tenuerunt; compoſitum, ex Ducatibus *Pedomontano, Mediolanenſi, Montis Ferrati, Mantuano, Mutinenſi, Cremonenſi, Parmenſi, Bergomenſi, Brixiano, Veronenſi, Vincentino. Bononienſi, Padvano, & Ferrarenſi.* Et eo usq; Viri fortes permanſerant, donec faſtu elatus *Deſiderius* contra ſedem Romanam non inſurgeret, à *Carolo M.* proinde debellatus. (m) Jllos ad *Viadrum* manſiſſe colligimus ex Tacito, qui illiûs Tractus Populos, *Longobardos* vocat. (n) *Strabo* verò ad *Albim* manſiſſe dicit. (o) *Ptolomæus* cæteris Populis magis Orientales, & verſus Septemtrionem extendi, Albimq; attingere teſtatur (p) in *Scadinavia* verò, nullos populos ſub nomine Longobardorum locat. Unde merito, illos, Ducatûs Brandeburgici partem notabilem, nec non Poloniæ aliquam ſortem, usq; *Poſnaniam* verſus, occupaſſe non dubito. Quos verò locô parvô adſtringit Tacitus, alij in Pomeraniam & Archiepiſcopatum Magdeburgenſem extenſos fuiſſe probant. (q) Præclara geſta hujus Gentis, hic non annotantur, cum plena ſint Volumina, de illis conſcripta. Quod tamen Sarmatæ fuerint: collige ex dicendis infra. (r)

Jtaliam occuparũt

(k) *Tacitus Annal. Lib. 2. Cap. 45. 46.*

(l) *Tacitus Annal: Lib. 11. Cap. 17.*

(m) *Paul: Diacon. de Geſt Longobard. Lib 4. Cap. 23. ſequ. Spelman Gloſſar Arch: Grot: in Hiſt Svec: Goth: Wandal. Boſinius Decade. 1. Lib 7.* (n) *Tacitus annal: L. 2. C. 45. & Germ C. 40.*

(o) *Strabo. Lib. 7.* (p) *Ptolomeus. Geograph: L 2 C 11.*

(q) *Leibnitius: in Not. ad Tacit: pag 13. Meibomius in Not: ad Hiſt: Bardewici Tom. 3. Ret. Germ: pag: 78. Eccardus in Program. de antiquis. Statu Helmſtad. Cellarius in Tab. Geograph. Germ:*

(r) *Vide hic par 3 Cap. 15. §. 5.*

§. adus.

§. 2dus.

Versus Meridiem, juxta Longobardos, manserunt *Ligij* in Silesia moderna, & Parte Poloniæ circa *Kaliß* Strabo *Laogos* nominat, emendat *Casaubonus* *Ligios* ponens. Per multas Civitates Jmperium diffudisse, testatur Tacitus. (s) Et quidem valentissimos, Ptolomæus *Lutoos* appellat. Non longè differt nomen, a *Lutzijs* vel *Luticis*. Unde *Legnicenses* creduntur nomen hæreditare *Lygiorum*. Quondam ad *Leytmericz* & *Albim* extensos fuisse opinatur Colerus. (t) *Sanadon* putat *Lygios*, *Arios*, *Helveconas*, *Manimos*, *Elisios*, *Nahavarlos* habitasse circa Vistulam, a *Vladislavia Cracoviam* uersús omnem terram occupantes. Quidquid sit? certe amplitudinem Gentis, testantur bella *Ligiorum*, sive *Lusicorum*, contra *Romanos*, & *Marroboduum* gesta. (u) Credo illos huc transisse ex Thracia, à *Lygio* fluvio (w) vel à *Bizantio* (quod antea *Lygos* dicebatur)(x) nomen secū attulisse.

Ligij populi.

Byzantia seu Lygos.

Jsti sunt quos *Witechindus* vocat *Licicavikos* (y) & diu hoc, aut huic simile, nomen retinuisse videntur; cùm ad huc sub *Miecislao* circa Annum Christi 999. sic appellarentur, saltim in illo districtu, cùm jam tota Gens sub nomine Slavorum nota fuerat (sed *Miecislaum* apud extraneos Scriptores sub *Misca*, *Misaca*, *Miscone* &c: latere scias.)

Lygij & Lazi Polonorum Protoparentes.

Hanc primam Gentem in poloniam ex Colchide migrasse probat *Lengnich* & hic consedisse, circa fluvium *Wartam*, *Lazosq* primitùs dictos fuisse à quibus aliter inflexo nomine orti *Lau-*

(s) *Tacitus de morib: Germ: Cap* 43.
(t) *Colerus in Notis ad Tacit: loc: præd*
(u) *Tacitus annal Lib* 12 *Cap* 29 (w) *Strabo Lib*. 7.
(x) *Vitichindus apud Meibomium de Script Rer: Germ Tom* 1. *p* 560.
(y) *Godofredus Lengnich Differt: de Majorib. Poloner*. §. 6. & *sequ*.

Laukawikij, deinde *Polacy*, quasi *po Lacach naſtępuiący* ſc: *Succeſores Lazorum* dicti ſunt. (z) (Germani namq; C. pro Z. legere ſolent) Unde Lechum & *Czechum*, ſive *Zechum* non minus fabuloſos eſſe Protoparentes Polonorum, & Bohemorum, affirmat, quàm *Tuiſconem* & *Manum* Authores Gentis Germanorum. Jngenioſiſſima hæc probatio eſſe videtur, aliquot conjecturis innixa. Sed non pollet tanto robore ut fidem Hiſtoricorum, tùm Domeſticorum, tùm extraneorum evertat.

Poſſet quidem ex ſimilitudine *Lazorum*, cum *Lecho*, & *Zechorum* cum *Czecho*, prima fronte capi animus ad aſſerendam identitatem: Sed plura ſunt quæ illam diſſvadent. Etenim *Lazorum*, & *Zechorum* Gentes ſibi conterminæ, multum remotæ fuerant ab oris Poloniæ ut potè in veteri *Colchide* (ubi nunc *Georgiani* manent) conſiſtentes: adeoq; per tot Populos, viam obſidentes, & (quod maximum eſt) per Regiones Romanis ſubjectas tranſire neceſſe fuiſſet. Quod Romani nunquam permiſiſſent: Ut ſufficiat ſolum exemplum *Helvetorum* adducere volentium in Gallias migrare: quorum intentum, quàm cruentis bellis impeditum fuerat, conſtat ex Cæſare. (a)

Impugnatur hæc opinio.

Deinde non tam faciliter magnus exercitus traduci poterat obſtante Ponto: & niſi per *Boſphorum Thracicum*, vel *Cimmerium* tranaſſent, illam viam, quam aſſignat *Lengnich* circa *Thyram*, *Danubium*, *Boryſthenem* &c: haud attingere potuiſſent, niſi navibus inſtructi, aut Ponte Boſphori littora jungendo. Id autem Scythæ utrumq; littus poſſidentes viri numerò, & virtute præſtantes, minimè permiſiſſent. Deinde *Lazi* & *Zechi*, erant quidem Sarmatæ (ut rectè probat *Paſtorius* ex *Procopio* & *Agathia*) ſed jam eò tempore quando Lechus in has oras venerat, prorsùs à Slavis degeneres. Non ſolum

(z) *Vide Julium Cæſarem Comment de Bello Gall. Lib. 1. per totum.*
(a) *Paſtorius de Orig. Sarm. pag. 63.*

lum enim à Romanis, alijsq; Gentibus mores extraneos artem bellandi, & similia plura, didicerunt, sed idioma pristinum Slavicum, adeo corruperunt, ut non de genere Scytharum Europæorum, sed ab Ægyptijs descendere crederentur. (b)

Hæc autem morum, & lingvæ alteratio illis contigit (juxta computum *Usserij*) circa Annum Mundi conditi 2513. Annis ante Christum Natum 1498. quando *Sesostres* famosissimus Rex Ægypti, devicta *Armeniâ* & *Cappadociâ*, magnaq; Orbis parte, *Colchidem*, atq; *Scythiam*, usq; ad *Tanaim* Regno suo adjecit, ibidemq; suos Ægyptios, novos Colonos reliquit. *Colchos* verò transtulit in Ægyptum. Unde tanta confusio utriusq; Gentis subsecuta est, ut tempore Herodoti, Colchi ab Ægyptijs, Ægyptij à Colchis se ortos fuisse crederent, (c) *Lazi* ergo Colchidis Incolæ, quos grandis illa *Sesostrianæ* expeditionis procella obruerat, tempore migrationis *Lechicæ*, moribûs, & idiomate fuerant Ægyptij nil præter nomen, ex antiquis moribus, lingva, & legibus retinentes.

Confirmatur idem. Lechus autem, & Populus illi subjectus, qui in has oras venerat, Gentis Slavicæ, & ejusdem idiomatis fuerat. Ideo nullus ex Authoribus est, qui Eum extra Europam aliquando habitasse, aut diversi idiomatis fuisse affirmet; sed aut *Dalmatam* aut *Istrium*, aut *Croatam* &c. dicunt. Et licet in Provincia, è qua egressus est, non conveniant, nullus tamen illum extra Europam, & *Slavoniam* posuit. Præterea Lazorum populi erant subjecti Romanis, ab illis Reges accipiebant (quos *Lados* mendosè appellat *Capitolinus*) (d) adeoq; Sedes mutare non permitterentur. Et licet se liberati restituissent, tamen per

(b) *Herodot Lib.* 3. *C* 104 & *Lib* 3 *Cap* 97 & *L.* 4 *C.* 40. *Strabo L.* 1 *Ammianus Marcelinus L* 22. *Rolin: Hist antiqv. Tom.* 1. *Lib* 1. *Cap* 3 (c) *Herodotus Lib* 2. *Cap* 104.

(d) *Capitolinus in Antonio Pio.*

per *Thraciam*, ſive *Romaniam* pertranſire minimè permitterentur, ipſa Conſtantinopoli obſtante, quâ invitâ nemo ultrò, citroq; trajectiones Aſiæ Europæq; facere poterat: cum ipſa ſit, veluti pons, & portus utriusq; orbis.

Nec pretereundum; *Lazos* anno Chriſti 522. cum *Tzathio* Rege Conſtantinopoli fidem ſuſcepiſſe. (e) Fuiſſet ergo aliquis in exercitu illo migrante fidelis & vel minimum ſignum Orthodoxæ fidei in hanc Oram ad vectum fuiſſet, de quo tamẽ minimè conſtat.

Nec valet evaſio; *Lazos* ex Patria ante ſuſceptam fidem exiſſe: Alias, migrationem initio ſæculi V. accidiſſe fateremur & circiter annos ſexaginta illius Exodi numerare deberemus: (cum *Lechus* in Poloniam Anno 550. advenerit) quod & Regio non adeò diſſita, & aliæ circumſtantiæ aſſerere non permittunt, alias omnes migratores incommodis viarum abſumpti fuiſſent, ſicut contingit Judæis intra 40. annos migrationis. (f) *Inconvenientiæ quæ ex hac opinione ſequuntur.*

Dicendum igitur *Lechum* veniſſe à Ponto, è Regione, quæ eſt inter *Iſtrum, Tyram* & *Boryſthenem*. Hæc enim gens erat libera, & extra limites Romanorum (g) ejuſdem idiomatis cum reliquis Populis verſus Oceanum manentibus. Ex *Lazis* autem, ſi quis huic turbæ admixtus fuerat defactò nomen ſuum toti multitudini imprimere haud potuit.

Redeundo igitur unde diverteram dico *Lacicavikos* quibus imperaſſe dicitur *Mieciſlaus*: non fuiſſe *Lazios*, ſeu *Lutzios*, verùm diſtinctum ab ipſis populum qui aliquando *Lutici*, *Lutcii*, & *Ligii* dicebantur, erantq; Pars Polonorum, quorum terra Ducibus *Legnicenſibus* ceſſit. Et Poſtea Regum Polonorum linea, Ducum Legnitiorum fuerat origo: ex qua *Lygii à Lazis diſtincti.*

Z Hen

(e) *Zonaras Annal: P* 3 & *Theophanes Chron: Alex Procop: L* 1 *Pe.*
(f) *Num:* 14 ℣ 29 *Deut:* 1 ℣ 35 *Pſal:* 94. ℣. 11. & 105 ℣. 26.
(g) *Vide hic Par:* 3. *Cap.* 12 § 6.

Henricus Pius S. Hedvigis Poloniarum Reginæ, Filius; strenuè cum militia Polona contra Tartaros dimicans occubuit. (h)

Versùs occasum sub *Ligijs* manebant *Hermunduri*, Partem *Bohemiæ* Septemtrionalem, & *Misniæ* orientalem, occupabant (i) Expresse indigitatur locus ipsorum; ubi *Albis* oritur, (k) ex montibus sc: *Wandalicis* teste Dione. Fidissimos Romanis *Hermunduri sive Bohemi.* fuisse fatetur Tacitus, ita ut Privilegiò uterentur, sine assistentia Romani alicujus, fines Romanorum ingredi, & Conventus celebrare, Latissimè extendebatur Natio, usq; in *Rhetiam*, illorumq; Colonia fuerat *Augusta Vindelicorum.* (l) Pluribus bellis erant clarissimi. *Catualdam* enim pepulerunt. *Catlos* vicerunt, *Vannium* deturbarunt, & multa ea gesserunt, quibus Gentes inclarescere solent. (m)

§. 3tius.

Ad latus Orientale *Hermundorum* manebant *Quadi*, ubi nunc Silesia superior, extensi in Palatinatum *Sradiensem* (ex *Quadi seu Silesij.* Taciti sententia; qui ultra eos *Burios* locat.)(n) Danubij rippā eos attingisse colligitur ex eodem Tacito, imò aliquando, etiam totam *Silesiam* occupasse, & *Marcomanos* constrinxisse probabile est. Nam ferri ab illis inventi, ad fontem Vistulæ meminit Strabo. (o) Nescio an cum *Elisijs* (quorum inferius meminit Tacitus) non essent confundendi, ita, ut *Quadorum* nomine deposito, *Elisij*, primùm, tandem *Slesij*, nunc, *Silesij* appellarentur. (p) Ea Gentis apud Romanos æstimatio fuit,

(h) *Dlugosz Hist. Pol: Lib. 7. Spenner in Syllog: Geneal: Hist.*
(i) *Plinius Lib 4. Cap. 41.*
(k) *Tacitus de Morib: Germ. Cap. 4.*
(l) *Rhenanus & Coler: ad dic. loc Taciti in Notis.*
(m) *Vide Tacit: Annal. Lib. 2. Cap 63. & Lib 12. Cap. 29. 30. & L 13. C 57. Eutrop. L 8 Rhenan: Rer. Germ: L. 1. Tit: Marcomani &c.*
(n) *Tacit: de Morib. Germ: C. 43* (o) *Strabo Lib. 7.*
(p) *Rhenanus & Colerus in Not: ad Tacit: Germ: Cap. 43.*

ut

ut *Suevis* ad Danubium translatis è Gente *Quadorum*, *Vannius* Rex datus fuerit. (p) Cujus conniventia *Quadi* limites suos usq; in Hungariam extenderunt, et extructa oppida *Quanstad* & *Quabou* ab illis nomina sortita sunt, (r) Illi vicinis etiam Gentibus, una cum *Sarmatis* tributa imponebant. (s) Tamen Anno Christi 565. à *Lechitis* subjugati Majori Poloniæ adjuncti sunt. (t) Nec amplius *Quadorum* Provincia vel *Silesia* dicebatur sed Polonia, donec irruptione exterorum, tandem avulsione à Regno Poloniæ; ad pristinum nomen rediret. (u) *A Polonis debellati.*

Silesijs, alias *Quadis* Collimitanei fuerant *Marcomani*, quos alij *Marcomanes*, *Marachenses*, *Rheginonios* dixerunt. Antequam constringerentur à *Quadis* Bohemiæ partem, *Moraviam* ac *Superiorem Silesiam*, tenuerunt. Nam *Boijos* usq; ad *Hercyniam* Sylvam pepulerunt, cum Rege *Marobodoo*, qui ibidem Regiam sub proprio nomine ædificavit. (w) Non aliam certe, nisi eam quæ nunc *Praga* dicitur, ut putat *Sanson Aventinus*, & *Brietius*. Se verò Rex cum populo Romanis subjecit. Quem cum in tutelam recepisset & trophæa ad *Albim* posuisset *Drusus*; ob hoc solum, *Ovationem* Romæ obtinuit. (x) *Marcomani* aliquando cum *Sarmatis* bella gerebant, quandoq; illis associati, contra Romanos pugnabant. (y) *Marcomani cum Sarmatis Romanorum inimici.*

Quæ modo Marcomades post horrida bella vagosq;
Sauromatas,

Romanis sæpè rebelles, & graves, præcipuè sub Antonio

 Phi-

(q) *Tacitus Annl Lib:* 2. *Cap* 64
(r) *Lazius de Migr: Gent: Lib* 8 *p* 503.
(s) *Tacitus de Moribus Germ: Cap* 43.
(t) *Cromerus Hist: Polon: Lib* 1.
(u) *Dubravius Lib* 8.
(w) *Tacitus Germ: Cap.* 42. *Dubrav: Lib* 4.
(x) *Tacitus Anal: Lib* 3 *Cap* 11. *Dio L.* 55. & *Germ. C* 42.
(y) *Statius Lib.* 3 *Sylv. Carm.* 3.

Philosopho (z) à *Catualda* quondam profugo plurimum exagitati. (a) *Ariovisto* contra *Julium* belli socij, sed enormiter cæsi. (b) Propter societatem Armorum cum Germanis, contra Romanos; etiam ipsi Germani à Tacito dicuntur. (c) Vel quod nonnulli amore belli, & societatis capti; derelictâ Patria, versùs Rhenum ad Germanorũ terras commigrarint. (d)

§. 4tus.

Avarisci in Palatinatu Cracoviensi.

Versùs Orientem positi erant *Avarini* juxta Montem *Carpathum* à fontibus Vistulæ, usq; ad *Biessos* extensi. *Phurgudionibus* à Septemtrione contermini, ab occidente *Marcomanis*. Occupabant Partem modernæ Silesiæ superioris, Ducatum *Oswicimensem*, & *Zatoriensem* nec non magnam portionem palatinatus *Cracoviensis*, ad Caput Vistulæ insidentes. (e) Tacitus illos *Avariscos* nominat, *Ossis* conterminos, ac juxta Pannoniam locat. E. Gallia migrasse affirmat, an ab Ossis illi recessissent, an Ossi ab ills dubitat. (f) *Strabo* ab ejs ejectos *Boijos* fuisse, meminit. (g) Bonfinius autem dicit Boijs junctos *Vindeliciam* occupasse, ubi postea *Bavari* dicti sunt, quasi *Boij & Avari*. (h) Ptolomæus *Avaris*, sive *Avarinis*, hic circa Carpathum locum assignat. In hæc enim loca inclinat ejus narratio. (i)

Cer-

(z) *Capitolinus in Antonio Cap* 17. *Eutropius L.* 8. *C.* 12. 13.
(a) *Tacitus Annal: Lib.* 2. *Cap* 62.
(b) *Cæsar Comment Belli Gall. Lib.* 1. *Cap.* 51. *seqv.*
(c) *Tacitus Germ: Cap.* 42.
(d) *Rhenanus Rer. Germ. Lib.* 1.
(e) *Ptolomæus Geograph: Lib* 3. *Cap.* 5.
(f) *Tacitus Germ Cap.* 28. (g) *Strabo Lib.* 5.
(h) *Bonfinius Lib.* 9 *Decad.* 1.
(i) *Ptolomæus Geogr: Lib.* 3. *Cap.* 5.

Certius tamen est *Avarmos*, sive *Avariscos* Genus fuisse Scytharum eorum nimirum, qui sub *Cagano* contra *Mauritium* Cæsarem arma sumpserunt. (k) *Abares*, quandoq; *Avares* dicebantur (l) præcipue ab interpretibus Græcarum historiarum, nam B. facilliter cum U. confunditur, ut pote eadem litera, utriq; notæ, serviente. Hunnis confines erant: & (antequam Poloniæ Regnum floreret, ac populi diversi in unum corpus Reipublicæ coalescerent) socij etiam prædationum, & in diversas Provincias excursionum, hinc cum Hunnis pro eodem populo sunt habiti. (m) Quia verò Hunni & Avari frequenter spolia auferebant (præcipue sub Attila sæculo quarto) etiam post quam quieverunt utriusq; Populi nomen compositum, circa Hunnos mansit & qui antea *Hunni & Avari* dicebantur, postea *Hungari* audiebant. (n) Illorum qui ultra Carphatum remanserant mansit quidem integra societas nominis, & animi; sed inter eosdem quos Carpathus divisit, animorum crevit diversitas. Unde post Lechum inter Polonos, & Hunnos, magnæ discordiæ: ita, ut Popielus I. Pacis & deliciarum amator, Hunnorum incursiones fugiens Sedem Regni Cracoviâ Gnesnam transtulerit. ❡ Omnia tamen, ab illis avulsa *Zemovitus* Piasti Filius, recuperavit. (o) Avaros & Hunnos *Jornandes*, *Paulus Venefridus*, imò & *Claudianus* circa *Mæotim* habitasse crediderunt. (p)

Bavari ex Avaris.

Hungari ex Hunnis & Avaris.

Hunnorum, laturus opem:
Est Genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim.

§.

(k) *Nicephorus Lib.* 18. *Cap.* 28. *seqv.*
(l) *Paulus Diaconus de Orig Longob.*
(m) *Bonfinius Lib.* 9. *Decad.* 1.
(n) *Nadayno Flor. Hung: Cap.* 12. *Micha Ritius de Regib: Hun. Lib.* 1. *Bonfin: in Decad. Reg: Hung.*
(o) *Paprocki Hort: Reg. Lib* 3. *Gvagnin: in Chron Sarm. L.* 1. *P.* 1.
(p) *Claudianus Lib.* 1. *in Rufin. Carm.* 3. *V.* 231.

§. 5tus.

Quod tamen prorsùs non subsistit, nam & in Titulo suo Attilla ponens subditas sibi Provincias nullius Gentis meminit præter eas quæ, cis, & ultra, Danubium erant; *Attila Bendecuci Filius, Nepos Magni Nembroth nutritus in Engaddi Dei gratia Rex Hunnorum, Mædorum, Gotthorum, Dacorum, Metus Orbis, & flagellum Dei.* (q) Ubi patet ultra Mædos (qui circa Thraciam incolebant) nil in Asia possedisse, adeoq; nec Hunnos ibidem fuisse, ideo & figmentum Jornandes (quem sequitur noster Gvagninus) *Hunnos* ultra *Tanaim* ex Faunis, & Satyris natos fuisse, prorsus corruit. (r) *Avarinos* autem, & Hunnos finitimos fuisse constat exinde. Nam cùm à Narsete in Jtaliam *Alboinus* evocatus fuisset, vicino suo *Avariæ* Hunnorum terram commisit, cui successit *Caganus*. (s) Nomina autem hæc non fuerant proria, sed appellativa. Et quidem nomen *Avarij* vel *Avarini* significabat Præfectum Gentis *Avarinorum*. Nomen autem *Cagani* denotabat simpliciter *Dominum*. Nam in antiquo Slavonico idiomate *Knek* & *Kachan* erant Synonima (idem significantia quod nunc *Kniaż*) Hinc omnes Principes *Serviæ*, *Moschoviæ*, *Longobardorum*, primitùs *Cagani* vocabantur. (t) Ab hoc nomine derivatur titulus Tartarorum Imperatoris qui *Chan* dicitur. (u) Jmò aliquando ab hoc originario titulo; Principes, *Canes* appellabautur.

Attilæ inscriptio

Jd ó

(q) *Munsterus Lib* 4 *Cosmograpl: Gregor: Turon. L.* 2 *C* 7. *Rhenan: Rer Germ. Lib* 1. *cum Not; Paul Diacon: Lib* 5.

(r) *Jornandes de Orig: Gotthorum &c Gvagnin: Chron: Sarm. Lib.* 10. *Par* 1 (s) *Gregor: Turonens: Hist. Lib* 4. *Cap* 18

(t) *Paulus Wernefri: de Gest. Longobardorum L:* 4. *C:* 39. *Dinna L* 7.

(u) *Vincentius Bellovacensis Lib* 31. *Cap.* 10 *Raynaldus Annal. Eccl: ad Ann:* 1278. *num:* 20.

Ideò posteris *Scaligerorum* Familiæ (quæ diu *Veronensem* Principatum tenuit) *Can* adijciebatur: Item apud Venetos Familiæ *Dandulæ*. (w) *Winidæ* Nomen *Kagan* cum aspiratione pronuntiabant *Kahan* (quod frequenter etiam nunc accidit in Diversis Gentibus Slavicis ut g, pro h, substituatur.) Sed cum Syllaba addebatur *Kahagan* Supremus Dominus designabatur, quasi *Panow*, *Pan*, Dominus Dominantium. Verum à *Kneg* originali, sicut *Kagan* erat derivativum, ita etiam in *Kniaż* faciliter degeneravit, utrumq; verò æqualiter, *Principem* significabat. Græci hoc crudum nomen, in suo idiomate retinuerunt. Unde ab illis quidam Principes vocabantur *Mega Knezis*, *Magnus Princeps*. Ad propositum autem redeundo dico, ex successione illorum duorum Principum *Avarionis* & *Cagani* colligi Gentem *Avarinorum* & *Hunnorum* aliquando fuisse conjunctam: in qua, *Cagan*, erat nomen Slavicum, officium, non Personam singularem denotans, licet potuisset fieri, ut etiam aliquando nomen officij, specialis notæ Personæ appropriaretur. Sicut nomen *Cæsaris*, *magni*, *Ptolomæi*, &c:

Kagan, Knek, Kniaz, sunt Synonima.

§. 6tus.

Supra *Avarinos* habitabant *Phrungundiones*, sive *Borgundiones* versus *Sandomiriam*, supra *Wandalum* fluvium, Partem Palatinatus Cracoviensis, & Sandomiriensis occupantes (x) Hos Ptolomæus *Buguntas* appellat, & usq; ad Vistulam extendit. (y) Quem sequitur quidem Cluverius, verum Sedem illorum, circa *Gnesnam* & *Krußwica* in Majori Polonia ostendit. (z) Fuerant autem generis Scythici, ut optimè probat *Valesius*. (a)

(w) *Scaliger in Vita Patris. pag. 29. Sansovinus in Venet. L. 13. ad An: 1328 Codinus de Officijs Aulæ Constantinop: pag. 415. seqv.*
(x) *Ptolomæus L. 3. C. 5. Gograph.* (y) *Ptolomæus Geogr: L. 2. C. 11.*
(z) *Cluverius Germ: Ant. Lib. 3. Cap. 26.*
(a) *Valesius in* Notit, *Gall.* & *Lib. 1. Rer. Franc.*

Plinius *Vindilos, Burgundiones Varinos, Carinos, Gutthones*, tanquam Sedibus vicinos ponit. (b) Hi deinde bellorum impetu translati fuerant in Germaniam inferiorem, creveruntq; in Populum. Sed a *Druso* & *Tiberio* victi, per Castella dispositi *Chattorum* & *Alemannorum* locum occupaverunt Ac in tantam Gentem coaluerunt, ut sub *Valentiniano* Jmperatore 80. millia rippam fluminis Rheni insederint. (c)

Gentem autem Burgundionum supra *Rhenum* habitantium, peregrinam fuisse, ex eo potest ostendi, quod nec *Julius Cæsar*, qui bella gessit cum Gallis & Germanis, nec Tacitus, qui Res Germanorum ex illorum narratis, ultra verùm descripsit *Burgundiorum*, & *Phurgundiorum* aliquando meminerint. Jmpossibile autem, notitiam eorum, illos potuisse vitare si aliqua Provincia, eo tempore inter Germanos, vel Gallós reperiretur; sub *Burgundiorum*, aut simili quopiam nomine: vel ipsi *Burgundiones* aliquam connexionē cùm Germanis haberent. *Ptolomæus* autem vix non coævus Tacito (nam 47. Annis minor est ipso) *Phurgundiones* juxta *Avarinos* ponit, certè supra Vistulam, Avarinos ipsos ad fontem Vistulæ collocando. Meminit quidem Ammianus *Burgundiorum*, verùm Sæculo III. in quartum declinante. Et Constantinus Porphyrogenitus fæculo VII. non tamen Burgundiam sed sc: *Vergioniam*, sive *Bergioniam* appellat. Unde Rhenanus de immigratione, & lingva Burgundiorum, sanè legendus & intelligendus. (d) Pari fide excipiendus *Gollut*, (e) qui cum contra tot clara documenta negare haud possit Burgundiones ad Vistulam mansisse: dicit Gallos natione fuisse, & ad certum tempus versùs Vistulam migrasse, deinde ad propria rediisse. Sed quam arbitrarie id afferat clare, etiam lippis patet.

Burgundi a Phurgundionibus orti.

(b) *Plinius Hist natur: Lib* 4. *Cap* 14.
(c) *Paulus Orosius Lib.* 7. *Cap.* 32. *Baudrandus &c*
(d) *Rhenan Rer Germ Nov Antiqv: Lib.* 1. & 2 *sparsim.*
(e) *Gollut. de Repub. sequanen. Lib.* 2. *Cap.* 1. §.

§. 7mus.

O*ſſi*, qui & *Oſilij* à quibusdam dicuntur: aliquam partem Palatinatus Cracoviensis, *S*andomiriensis, Sieradiensis, & quidpiam Ducatûs Maſoviæ poſſidebant. In Sarmatia Europæa illos locat *Ptolomæus* (f) Recentiores diverſimodè, Reyneccius, in *Weſtphalia*; Baudrandus circa *Wiadrum* Rantzovius in Inſula Maris Baltici *Oſſel* dicta. Propius illos admovet *Cluverius*, & *Rhenanus*, qui circa *Opaviam*, *Ratiboriam*, *Niſſam*, illos ponunt, & aliquam partem Palatinatus Cracovienſis eis concedunt. (g) *Sanadon* idem fatetur, & per Sileſiam uſq; ad *Olßtyn* (ubi aurifodinæ Regni quondam fuerant) extenſos fuiſſe dicit. Unde hoc loci ubi illos ego quoq; repono non improbabile eſt illos manſiſſe, & Gentem Sarmaticam fuiſſe, non peregrinam, cùm Ptolomæo tenendum. Tacitus expreſſè dicit *Oſos* Germanos minimè fuiſſe, ut pote Pannonicè loquentes, & Sarmatarum, Quadorumq; tributarios. (h) *Pannones* ùerò uſq; hodie Slavonica lingvâ uti, certum eſt. Patet id etiam exinde, quòd *Pannones* ſemper alicui Genti Slavicæ conjuncti fuerint, vel *Styrijs* aut *Illyrijs* unde Ovidius. (i) *Oſſorum Privincia in Polonia*

Nunc tibi Pannonia eſt nunc Illyris ora domanda

Ex altera etiam Parte Jazigibus, Metaſtanis vicini fuerunt (quos Slavonicè locutos fuiſſe probatum eſt, & probabitur infra (k) adeoq; & Pannones diverſo idiomate non fuiſſe uſos, planum

Aa eſt

(f) *Ptolomæus Georg. Lib.* 3. *Cap.* 6.

(g) *Cluverius L.* 3. *Germ: C.* 21. *Rhen: cum Not. Otton. pag.* 249.

(h) *Tacitus de Morib: Germ: Cap* 43.

(i) *Ovidius Triſt: Lib.* 2 *Eleg.* 1 ℣. 225.

(k) *Vide hic par.* 3. *Cap* 11 § 2. 6 8. 11. 12. 14 17 *Cap.* 12. § 3 6 11. 14 15. 21. *Cap* 13. § 2 7 8. 14 *Cap* 14. §. 5 14 15. 17. *Cap.* 15. § 24. *Cap* 16. §. 1. *ſequ:*

Osſi non ex Gallia oriundi.

eſt arguere. Quod autem Tacitus dicit è Gallia *Oſos* tranſiſſe, in Germaniam, deinde ab Avariſcis ſuperatos. (l) Quando id contigerit non facile inveniri poteſt. Migrarunt *Bellovesus* & *Sigovesus* ſub *Ambigato* Rege *Bituricorum.* (m) Sed hi, versùs Mare deſcenderunt, & *Bellovacos* Populos, atq; *Oſiſmios* fundarunt. (n) Quando verò migrarunt, vel quando *Avariſcis* conjuncti eſſent non reperio: Imo *Oſiſmios* alios prorſus eſſe à noſtris *Oſis* clarè conſtat ex Plinio, qui eos in Gallia Ludgunenſi ponit. (o) Quem ſequitur *Sanadon* dicens partem Diæceſis Lugdunenſis Orientalem, ac Diæceſis Trevirenſis, inhabitaſſe.

§. 8vus.

Bulanes populi primi inter Polonos.

B*ulanes*, *Oſis* finitimi, Palatinatum Lublinenſem magnam etiam partem Palatinatus Sandomirienſis, nec non Terræ Chelmenſis occupabant. Supra *Phurgundiones* à Ptolomæo collocantur. (p) Creduntur Poloni ab hac parva Gente nomen ſumpſiſſe. Unde *Hartknoch* putat, antiquius apud extraneos Scriptores inveniri poſſe Nomen Polonorum ſub nomine *Bolanorum*, vel *Bulanorum*, aut *Bolaniorum* (licet contrarium videatur ſentire Cromerus) cum Germanis P. in B. commutare non ſit novum. (q) Impugnatur hæc opinio à *Hanckio*, (r) cui etiam favet *Lengnich* (s) quaſi *Hartknoch* ſibi ipſi

(l) *Tacitus de morib: Germ: Cap:* 28.
(m) *Livius Lib.* 5. *Cap.* 14.
(n) *Videatur de his Cæſar Comment: Bell: Gall: Lib.* 2. *Cap.* 4. 34. & *Lib.* 3. *Cap* 9. & *Lib.* 7. *Cap.* 59 75.
(o) *Plinius Lib:* 4. *Cap:* 18.
(p) *Ptolomeus. Georg: Lib* 3. *Cap.* 5.
(q) *Hatrknoch de Reb: Polon: Lib.* 1: *Cap.* 1. *Vide etiam Cromerum de ortu & Reb: Polon Lib.* 1. *Cap.* 8.
(r) *Hanckius de Reb: Siles. Cap.* 1. §. 50.
(s) *Godofre: Lengnich: Diſſertat: de Majoribus Polonor:* §. 3.

con-

contradiceret, dum *Polonos* à Bulanis dictos ante Lechi adventum in has oras dicit. Cum hic Gentis Polonæ Author (ut fertur) versus finem sæculi VI. longè post Ptolomæi tempora: huc advenerit.

Ego verò nullam contradictionem reperio. Si etenim diceremus Polonos non aliunde nisi à Lecho denominatos fuisse, hancq; denominationem Ptolemæo notam fuisse affirmaremus, defactò censuram minimè effugeremus. Sed nec *Hartknoch*: nec nos, denominationem Polonorum à Lecho trahimus: adeoq; probabiliter inferre possumus ex Analogia inter *Bulanes*, *Pollianos*, *Polenios*, *Bolanios*, *Polonos*, diversa Syllabarum fractione, ab extraneis Scriptoribus, eundem Populum Polonorum potuisse designari. Experimur namq; hanc modicam Orthographiæ mutationem etiam nunc accidere, dum, secundum variam vocis inflexionem, circa eandem Personam, locum, vel Regionem, etiam paucas literas alterari contingit. *Polonorum nomen adhuc ante Lechum* Nesciò an rectius argumentatur ipse Lengnich nomen Polonorum à Lazis Populis in Colchide derivando (t) quam *Hartknoch* Polonos cum *Bolanijs* combinando. Si verò augurari licet, dicerem, primis temporibus fundatæ Reipublicæ in hoc Districtu sedisse Gubernatores aliquot deputatos ab ab alijs Scytharum Provincijs, qui majoris importantiæ negotia resolverent, nec non regerent Terras subditas & ab ipsis Oram hac Bulaniam dictam fuisse tanquam Senatorum locum, nam Senatores & Gubernatores Civitatum *Buleutas* appellatos fuisse scimus. (u) Similiter & in theatris locum appellatum fuisse quem seniores occupabant non ignoramus. (w) Jd verò nòn intelligendum de illis duodecim Palatinis,

 qui

(t) *Lengnich. loco citato* § 4 *sequentibus.*

(u) *Plinius ad Trajanum Lib* 10. *Ep*: 113. *Modestinus Cap.* 15. *de excus: Leg. Spado de excus. Joan Calv. in Lexic. Jurid*

(w) *Cælius Rhodius L* 8. *var: Lect: C.* 8 *Pollux L* 8 *Ono mast: C* 19.

qui post *Lechi*, & *Craci* extinctas Familias gubernabant Rempublicam (cum de Historia illorum temporum multa occurrant dubia.) Sed de alijs quos sibi provinciæ vicinæ tanquam Judices eligebant, & in illorum decreta omnes compromittebant. Nihil enim obstat (ut colliges ex dicendis (x) si forte etiam ante *Ptolomæi* tempora similes conventus Magnatûm Sarmatarum, hic celebratos fuisse permittamus, quod maxime in meditullio Provinciarum commodissimus locus assignaretur; ad resolvenda negotia quoties, aut excursiones ad vicinos, aut mutua defensio, contra impugnantes, decernebatur; aut lites majoris importantiæ componebantur, atq; negotia notabiliora expediebantur.

Denominationes Gentium plerumq; Græcæ vel Latinæ.

Quod autem a Græco traham Nominis derivationem nemo dabit. Cum sciamus ex supra dictis (y) Scythis antiquis Græcos cohabitasse Jmo fateri necesse est, pauca admodum Nomina Slavonica esse quibus Gentes antiquæ modernam Poloniam inhabitantes distingvebantur. Sed aut Græcis, aut Latinis verbis usi sunt Authores, ad designanda loca primarum Gentium. Cùm quæcunq; scimus, non à Scythis, & Sarmatis (qui literas prorsus non curabant) sed à Latinis, Græcisque Scriptoribus extrahimus. Hi autem, aut narrata ab alijs in suam dialectum reformabant, aut quæ capere non poterant juxta diversitatem locorum, Personarum, & audientium, sua de novo imponebant. Prætereà sat fusè probavi supra (z) vetus idioma Slavicum convenisse cum Græco, atq; Latino, & ex hoc utroq; idiomate plura ad huc remanere Nomina in Libris Slavicè conscriptis, ideo non mirum ex supra dictis Latinis; atq; Græcis vocibus aliquas adhæsisse, gentibus quibusdam ut pote quòd hæ non ita faciliter deponant semel assumptum cognomen.

§. 9.

(x) *Vide hic integr: Oper. Par. III. Cap.* 15. §. 3.
(y) *Vide hic par.* 3. *Cap.* 11. §. 4. 5. 10. 11 15. & C. 15. §. 5 *&c.*
(z) *Vide hic Par.* 3. *Cap.* 5. §. 15. *seqv.*

§. 9nus.

B*ulanis* collaterales fuerant *Lazyges.* Jngentem Regni Poloniæ Oram occupabant. Extendebantur enim per Palatinatum Podlachiæ, partem Terræ Chelmensis, & Palatinatus Volhyniæ, aliquid etiam de Palatinatu Lublinensi participantes. Imo usq; versus Prussiam, Regionem occupabant, & in Litvania *Novum Castrum* vulgo *Novogrod* possidebant. Cum Litvanis igitur, Russis, & Pruthenis communi utebantur idiomate, vel potius mixtum unum ex tribus habuerunt. Certùm autem est (donec à supervenientibus à *Wolga* fluvio *Wolgaris* sive *Bulgaris* ejecti fuissent) quod pars illorum notabilis habitasset in *Myssia.* Unde per Danubium glacie constrictum, usq; ad Pontum ipsum, & maritimas Civitates excurrebant oculato Teste Ovidio. (a) *Jazyges amplissimus Populus.*

Jpse vides, onerata ferox ut ducat Iazyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas
Aspicis, & mitti sub adunco toxica ferro
Et telum causas mortis habere duas.

Dicit autem currus bobus tractos fuisse. Nam illis constitutum fuerat pedestri semper prælio decertare, nec pedem ex acie retromovere quantumvis fuga salvari possent (b) à *Wolgaris* & *Russis* fracti, & à Ponto repulsi, divisi sunt in duas turmas quarum una supra rippas Danubij procedens, possedit Hungariæ partem; & in *Vannio*, (qui à Druso Svevis Rex datus fuerat) contra *Ligios* submissò equitatu, auxiliò fuerunt. (c) Et pares copias *Aponiò Saturninò* submiserunt. (d) *Prius aa Pontum manebant*

A-

(a) *Ovidius de Pont. L. 4. Eleg. 7. ṽ. 9 Strabo L. 7. Plinius L. 4. C. 12.*
(b) *Gvagninus Hist: Sarm. Lib. 3. P. 3.*
(c) *Tacitus Lib. 12. Cap. 29.*
(d) *Tacitus Hist: Lib. 3. Cap. 5.*

Aliquando contra Lygios, aliquando cum Ligijs contra Romanos sociati. Altera verò *Jazygum* pars à primitiva sede recedens, & supra rippas Borysthenis pergens per Sylvas, & lacus, venit ad fines Poloniæ. Qui inter Danubium & Carpathum sederunt *Jazyges Metanastæ* dicti sunt. Forte ideo, quòd de genu pugnarent, & certando; terræ quasi assiderent, ut velocius possent insilere in hostem. Nam *Metanoia* Græcis *genuflexionem* significat. Qui autem circa Poloniæ limites consederant Jazyges simpliciter nominabantur, à vulgo autem, tàm à se invicem quàm ab omnibus Slavis *Jazwingi* appellabantur, ab animali *Taxo* (quem etiam *echinum terrestrem* nonnulli dicunt)Poloni enim hoc animal *Jazwiec* nominant. Ideo verò sic appellati sunt, quod ipsi quoque adinstar hujus bestiolæ paucas domos ædificando) in Caverius & Scrobibus habitarent. Patet autem *Jazyx* Græcum, cum *Jazwing* Slavonico fermè idem esse & modico tantum accentu, alteratum. Adeô inanis gloriæ, & laudis erant avidi, ut decem illorum, centum hostes aggredi non vererentur, ea sola spe allecti, quòd eorum hæroica facta in versus digesta, à Posteris decantanda forent. (e) Hic mos transijt ad nostros Cosacos qui de suis Ducibus, Optionibus, ac Sodalibus rebellionis, decantando Rythmos se ad pugnam incitare solent, & contra suos Dominos magis exacerbantur.

Gloriæ fuerant avidissimi.

§. 10mus.

Hæ *Neniæ*, ac funebres cantilenæ, inflammabant Jaziges, & ardorem belli in illis exercitabant. Jdeo licet multi uno conflictu occumberent, nunquam tamen cessarunt, finitimas Gentes, bellis exagitare. Hinc, in *Masoviam* excurre-

(e) *Dlugosz Hist: Polon. Lib: 7.*

rebant, illinc *Prussos* impugnabant, aliquando Litvanis, quandoq; *Russis* arma inferebant, Regionesq; populabantur Interea ex ipsis multi peribant, nam à Jaroslao Duce *Władimiriensi* Anno 1112. terra illorum fædè vastata, ipsorumq; plurimi excisi sunt. Sub *Conrado* etiam Principe Mazoviæ *Gotardus* ejus Dux septem eorum Duces captivos duxit, milites omnes enecavit. Duces tamen singuli septingentis libris argenti, redempti sunt. (f) Ad extremum *Boleslaus Pudicus* Magno exercitu instructus, Regionem ipsorum est ingressus. Occurrerunt *Jazyges* grandi animò ac numerò congregati, & etiam irruxerunt, fortiterq; (more suo) pugnarunt donec multitudine, & Armis Polonorum oppresi, penitùs exterminati fuissent. Spolia exercitui divisa sunt, Minorennes autem, senes, ac debiles qui domi remanserunt, sub jugum missi, & pertinaces quidem, ac Ritum Poganorum relinquere nolentes, interfecti, alij verò ad fidem Christianam conversi sunt, atq; baptizati: illi præcipuè qui circa *Drohiczyn* Metropolim suam, & circa *Novum Castrum* (alias *Novogrod*) in Lithvania manebant. Eorum in fide instructionem, Alexander IV. summus Pontfex *Fratribus Minoribus* commisit, & Episcopum illis dari præcepit. Sicque Gens ac Nomen Jazigorum, ab eo tempore interijt. Nam & illi, qui circa *Agriam* & *Tibiscum* in Hungaria sederunt, & *Metanastæ* dicebantur Hungariæ adjuncti sunt retentâ antiqua loquendi formâ Slavonicâ, qua hucusq; utuntur. (g) Rectè autem Valerius dixerat. (h)

A Jazigibus omnes finitimi impugnabantur.

A Polonis prorsus deleti sunt.

Neurus, & expertes canentis Jazyges ævi.

Etenim propter inordinatum bellandi ardorem, vix alqui senium attingebant.

§. 11.

(f) *Długosz Hist: Polon L 4. Gvagnin Chron. Sarm: L. 3. P. 3.*
(g) *Długosz Hist: Polon: Lib 7. Cromer: Rer: Pol. Lib. 9. & 10. Miechovita L. 3. Paproc: Hort: Reg: L: Gvag: Chron: Sarm: L 3. P. 3.*
(h) *Valer. Flacc. Argonaut. Lib. 6. v. 121.*

§. 11mus.

Burij, Oſſis & Jazygibus finitimi, cum tractum occupabant, ubi antea Ducatus, nunc Palatinatus *Mazoviæ* & *Caliſienſis* ſubſiſtit. *Burgiones* Ptolomæus appellat, & ad Viſtulam expreſſè locat. (i) Tacitus terga *Quadorum*, & *Marcomanorum* claudere dicit. (k) Alijs, *Lygij*, *Burij* dicti. Baudrandus eos ad fontes Viſtulæ locat, ubi *Avarmi* à Ptolomæo ponuntur. *Andreas Vellejus*, & *Rantzovius* in Jnſula Maris Baltici *Burlaze* ex ſola nominis analogia habitaſſe putat. *Brietius* tamen ad Viſtulam versùs Caliſiam Ponit. *Sanadon* ad *Wartam* fluvium locat *Colerus* cunctanter quidem eo tamen loco, ubi nunc *Varſavia* conſiſtit habitaſſe concedit, ſed hanc Gentem nec Tacito forte, nec Ptolomæo cognitã dicit. (l)

Videtur non reſpexiſſe *Ptolomæum* a quo Civitates Sarmatiæ noſtræ enumerantur *Caliſia*, *Sedibaba*, *Lutidanum*, *Budinium*, *Laucariſtus*, *Sturgum*, *Limoſalcum*, *Aſcanatis*, *Rugium*, *Vnitium*, & *Arſonium*. Jmo ipſe Colerus citans Capitolinum, poterat animadvertere Sarmatis adnumerari *Burios* ſic enim inquit Capitolinus: *Gentes omnes ab Ilyrici limite, uſq; in Galliam cnnſpiraverant, ut Marcomani, Nariſci, Hermunduri, Quadi, Svevi, Sarmatæ, Burij. Hi alijq; cum Victabalis, Soſibes, Rhoxolani, Baſtarnæ, Alani, Peucini, Coſtoboci.* Ex quo patet Burios Partem Sarmatarum fuiſſe, & has Oras incoluiſſe.

§. 12.

(i) *Ptolomæus Georg: Lib:* 3. *Cap.* 5.
(k) *Tacitus de Moribus Germ: Cap.* 43.
(l) *Colerus in Notis ad Tacit: Germ: Cap.* 43.

§. 12dus.

Gallindas partem Venedorum fuisse dicit Sanson, nostri quoq; Chronologi meminerunt antiquæ Provinciæ in Prussia quæ *Gallinda* nominabatur: quam, cum omni illa Gente Boleslaus I. Rex Poloniæ suis ditionibus adjunxit. (m) Unanimiter dicunt appellatam fuisse à *Gallindo* suo Principe Filio *Weidewuti* Anno Christi 173. Antea namq; innominati manserant ibidem populi, nec ulli Principi subjecti, donec *Waydewutum*, uti hominem prudentissimum, liberè sibi in Hæredem eligerent. Qui 116. Annos vivens, hanc Prssiæ Partem Filio secundo genito *Gallindo* concessit. Crevit tandem populus, & cùm illum Terra non caperet; ex qua frequenter finitimos bellis fatigabant, ad *Burios* vastandos (quos unum nemus disterminabat) sæpius excurrebant. Cum nec sicquidem locari possent, præceptum est à Magistratibus obstetricibus, ut infantes omnes qui nascerentur, interficerent. Jllæ verò miseratione naturali commotæ, cùm id negligerent, mandatum, ut omnibus mulieribus ubera præciderentur, ne habeant quo filios nutrirent. Itaq; doloris, & contumeliæ impatientes, à sapientissima Fæmina (quæ Prophetissa, & Interpres Deorum credebatur) auxilium postulant. Jlla, convocatis senioribus nomine Deorum mandavit, quatenùs nihil morando, inermes prorsùs in terras *Buriorum* abirent, & spolia inde reportarent. Parent: & Confines invadunt, spoliant, abducuntq;. Sed aliquot captivi (vinculis solutis cùm ad suos redijssent, nuntiarunt *Gallindas* inermes redire. Unde Cives arreptis armis, assecuti invasores, eos opprimunt, & spolia

Gallindæ invasores Buriorum.

Jnterierunt omnes.

Bb eri-

(m) *Dlugoss: Hist: Polon: L. 2. Guagninus Hist: Sarm: L. 4 P. 2. Paprocki Hort: Reg. Lib. 3.*

eripiunt. Id *Sudeni* rescientes, terram ferè vacuam invadunt, spoliant, & captivos, infantes, Mulieres abducunt, Regionem *Gallindarum* suæ Provinciæ incorporando. (n)

§. 13tius.

Mulieres apud Germanos in honore.

Cum autem Prophetissæ hujus mentionem fecerim, non abs re judico de illa quidpiam annotare, vel ideò; ut pateat ea quæ apud nonnullos referuntur de Germania, Slavicis etiam Regionibus fuisse propria, & tantum imperfecto rumore solis Germanis fuisse attributa. Jd, ex harum quoq; Pythonissarum historia patet. Quæ tam Germanis, quàm *Slavis* erant honorabiles. Verùm quidem apud Germanos præter fatidicas Mulierculas, etiam alias, tantæ dignitatis fuisse, ut in decernendis rebus dubijs, firmanda pace, vel promovendò bello, fæminæ tanquam arbitræ præponerentur. Regimen quoq; illarum patiebantur Germani, & consilijs earum, aliquid Sancti inesse putabant. Unde ad obligandos Civium animos, puellæ obsides petebantur. Et quia dignitati semper famulatur adulatio, erant quædam fæminæ, quas velut Deas venerabantur, (o) Inter has fuerat *Velleda* summæ authoritatis, & locò Numinis habita; quæ apud *Bructeros* sc: *Brutenos* vel *Pruthenos* latè imperabat, & suis Civibus excidium Legionis Romanæ prædixerat. (p) *Civilis* Princeps, Legatos *Agripinensium*, sine *Velleda* audire noluit; quæ tamen venerationem sibi concilians, non nisi ex alta turre, per internuntios ex propinquis, responsa dedit. (q) Jlli ex spolijs opima tribuebantur. Nam

Velleda Sacra Fæmina.

(n) *Petrus à Dusburg: Chron: Pruss. P. 2.*
(o) *Tacitus Germ: Cap. 8.*
(p) *Tacitus Hist: Lib: 4. Cap. 61.*
(q) *Tacitus Hist: Lib. 4. Cap 65.*

Nam, & *Mummius Lupercus* Legatus Legionis, & navis prætoria, ipsi oblata est. (r) Postea tamen victis Germanis etiam *Velleda* in triumpho ducta fuerat. Teste Statio. (s)

Non vacat Arctoas acies Rhenumq; rebellem
Captivæq; preces Vellidæ

An verò omnes fatidicæ Virgines *Velledæ* dicerentur (ut videtur velle *Boxhornius*) (t) an nomen fuisset uni proprium? non satis constat, Dio tamen refert, *Velledæ* aliam diversi nominis *Gaunam* successisse. (u)

§. 14tus.

Sed has fatidicas mulieres, non uno locô semper habitasse, puto. Etenim *Velledam* Bructeram natione fuisse, dicit Tacitus, *Gvanam* autem in Vicinia, aut inter ipsos Slavos habitasse probabile est, ac priori successisse in eodem officio, licet diversô locô. Nam ad *Gvanam* misisse sciscitatum, *Masyum Nassamonum* Regem tradit *Dio* (Vosius pro *Nassamonum* substituit *Semnonum*, quam Gentem Slavicam fuisse innui superius dicamq; infra.) (w) Unde puto *Gvanam* ad *Albim* haibtasse.(x) Quamvis ego *Semnones* justè longius ab Albi removeam.) Præter *Gvanam* fuisse dignitate similem *Auriniam* meminit Tacitus. (y) Hæc verò non *Germana*, sed *Gothica* fuerat mulier. Apud *Gothos* enim Magæ *Alyrumne* vocabantur. (z) Si nominis et hy-

Ubi morabantur fatidicæ mulieres.

(r) *Tacitus Hist. Lib.* 5. *Cap.* 23.
(s) *Statius Papin: Lib.* 1 *Sylv:* 4. ỷ. 90.
(t) *Buxhorni: in Not. ad Tacit: Germ: Capt* 8.
(u) *Dio. in Fragm: à Fulvio Ursino collect: Fra.* 49.
(w) *Vide hic Par.* 3 *Cap* 13 §. 8 & *Cap.* 15. §. 2. *seqv.*
(x) *Vossius de Idol: Lib.* 3. *Cap.* 17.
(y) *Tacitus Germ: Cap* 8
(z) *Jornandes de Reb. Gethicis Cap.* 24.

hymon intimius scrutari velimus, dicemus, nomen esse compositum ex Hæbraico Eloch quod *Deum* significat, & *Runa* quod antiquis Septemtrionalibus *Characteres Mysticos* & *Hieroglyphicos* denotabat. (a) (Non enim tunc, famosæ Gentis Hæbreorum ignotus fuerat Deus, ejusq; nomen) Saxo Grammaticus alterata nonnihil appellatione eandem Magam nominat: *Veneficam, cui Gutrunæ erat vocabulum consulunt.* (b) Ubi pro *Eloch* Hæbraicum, *Gott* Germanicum ponitur pariter *Deum* significans. Hinc etiam alij, eas *Hallyrunas*, vel *Halyninas* dicebant quod apud antiquos populos *Aly* Sanctum communiter denotabat, *Runa* vero *Geticè* idem esset quod *Ars* (c) adeoq; *Aliruna* idem sonabat, quod, *Artis Sanctæ perita.* Schedius cum Trithemio, & Aventino putat *Alironiam*, talem sagam dictam fuisse Gothicè, sed à radice Hæbraica, quasi *Cantatricem*, & præficam in funeribus Heroum, qui bello occubuerunt. (d) Certe nomen convenit, cùm *Alach, Præficam* denotet. Carmina verò seu Neniæ supponuntur esse illis similes, quibus *Jazyges* ad contemptum vitæ alliciebantur, ut dixi supra. (e)

Inter Slavos etiam conversata.

Non recurrendo ad Hæbraismum poterat etiam ex Lingva primigenia hæc radix mansisse apud Getas juxta dicta superius. (f) Hæ vero mulieres non unum locum incolebant, sed aliquando in Germania, quandoq; inter Sarmatas, & Slavos manebant. (ut patet ex illa, quæ *Gallindas* infascinavit) aliquando etiam in Bohemia, vel Sylva Hercinia subsistebant, quod innuit Poeta.

Evolat Hercinio ad superos Aurinia luco

(a) *Ol. Wormius in Monumen: Dani: In literatura. Runica Cap. 3. Et in Fastis Dan: Lib. 1 Cap. 1. & Lib. 3. Cap. 3.*

(b) *Saxo Grammaticus Lib. 4. & 8.*

(c) *Io Magnus Lib. 9 Got: Cap. 24 Luccenius Antiqv: Sveo. Get: Lib 2 Cap. 14. Vide etiam Annony: in Hist: Orb: Terr. Georg: Civil. Cap.* de Lingvis. (d) *Schedius Lib. 2. Cap. 43.*

(e) *Vide hoc Capite §. 9. & 10.*

(f) *Vide hic par. 3. Cap. 5. §. 8. seqv.*

Unde

Unde & diversa nomina sortiebantur. Aliquando dicebantur *Aurinia* quæ ex Græco quasi, *Cœli speculatrix*, quod Astrologiæ non imperitæ fuerint, Aliquando ex *Gettico* & *Hæbraico Alrunæ* quasi *Divinatrices* vel Divinandi artem scientes, aliquando *Velleidæ* ex antiquo Slavonico, quasi dicas *Welewidme* (nam *Wiedma* apud Ruthenos etiam nunc dicitur *Augur*, a Verbo *Wiem*, *Scio*, quod sciat occulta) Dici etiam poterat *Wielowładna* abbrevitatè, idest *Multipotens*: Aut *Wielebna*, *Veneranda*: Verùm, hæ fatidicæ Mulieres, satius Germanis, quàm alijs ultra *Albim* Populis, à veteribus Historicis attribuuntur. Vel, quòd de illis amplior dicendi materia occurret Scriptoribus, cum quibus bella frequentius Romanis accidebant: Vel quód apud Germanos essent tales feminæ frequentissimæ, & fere omnes Matres familias. (g) Vel, quòd, ubicunq; fuerat *Saga* hæc præstantissima, ad illam etiam Germani concurrerent. Sicq;, facta Gentium magis remotarum, Germanis quoq; erant communia. (h) In alijs quoque Regionibus Slavorum similes fæminæ colebantur, & juxta alterationem dialecti diversimodè appellabantur. Nam in *Pannonia* & *Dalmatia* notæ fuerunt tales mulieres sub nomine *Ausanarum*, *Ausoniarum*, vel *Tansaniarum*, (i)

Ex Slavonico ita dictæ.

§. 15tus.

Quia verò nonnullis Partibus Poloniæ nuper subjectis modò prædominantur Germani, & mores, Leges, habitum, illorum imitantur incolæ: videndum! an primis temporibus, ibidem manserint? Et *Livoniam* quidem, ac *Curlandiam* Slavica Gens

(g) *Cæsar Comment. Belli Gall. Lib. 1. Cap. 50.*

(h) *Vide dicta hic Par. 3. Cap. 11. §. 16.*

(i) *Th: Reinesius Synt: Inscr. Art: 175. pag. 188. Keyssler. p. 426.*

Gens incolebat. Nam habitum (quem describit Adamus Bremensis) Germanicum asserere minimè possumus. Dicit namq; antiquos Curones *Vestitu Monachico* indutos fuisse. (k) Ubi vides habitum talarem adinstar Monastici, non verò curtum, illis populis proprium fuisse. Qui habitus erat Scythicarum, & Slavicarum Gentium. (l) Idem etiam dicit: ex *Græcis* & *Hispanis*, plures adventasse ad Magos (quibus plena erat terra) pro accipiendis responsis. Ubi *Græcos* non alios intelligere possumus nisi Populos *Borysthenis* accolas, *Hispanos* verò Getas fuisse. Author verò qui Sæculo XI. vixit primitivos, cum Populis sui ævi contulit, quando Rutheni *Græcis Ritibûs* utebantur, *Gotthi* qui remanserant circa Pontum propter ejusdem Gentis *Gotthos*, Hispaniam possidentes sub nomine *Hispanorum* veniebant. (m) Colloqui autem Slavis Hispani & Græci illi non poterant, nisi fuissent unius lingvæ, ab utrinq; intelligibilis.

Ubi nunc Germani erant antea Slavi

Tacitus, *Venedos* atq; *Fennos* id est *Finnos* seu *Filandiæ* Incolas dubitat quidem an illos Sarmatis, vel Germanis? adscribere debeat. In lingva tamen cum Germanis non convenire videtur sensisse, cùm ex enumeratis, solos *Peucinos* lingva & moribus Germanicis uti dicit. *Fennos* autem ideo solum putat esse Germanos quod Domos haberent, scuta portarent, & pedites pugnarent. (n) Hæ tamen rationes non tanti valent, ut ex illis solis probari possit Gentium convenientia, ideo errasse quo ad hæc Tacitum constat. Nam & Domos habuisse Sarmatas, & Scuta portasse, & pedites pugnasse, ex dictis, & dicendis luculenter colligi potest. (o) Et quamvis de Finnis

Littora Maris Baltici. Slavorum erant.

(k) *Adamus Brem: Lib de Situ Daniæ. Cap.* 223.
(l) *Vide hic Par.* 3 *Cap* 15. § 18.
(m) *Vide hic Par.* 3. *Cap.* 10. §. 8 9.
(n) *Tacitus de Morib: Germ. Cap.* 49.
(o) *Vide hic par.* 3 *Cap.* 12 § 3. 4. 15. & *Cap.* 14 § 8. & *Cap.* 15. §. 23. *Vide etiam Herodot: Lib.* 4. *Cap.* 12. 18 45. 100. mi-

minus curem, an Sarmatæ fuerint; illis tamen opposita littora, certè Germanis erant vacua. Expressè namq; Plinius dicit *Insulæ Complures, sine Nominibus, eo situ traduntur, ex quibus ante Scythiam quæ appellabantur Bannomanna, abesse à Scythia diei cursu, in quam veris tempore fluctibus electrum ejiciatur.* (p) Aliqua exemplaria habent *Pannonia*, alia *Eningia*. Quid, quid sit, certè littus *Maris baltici* australe, *Scythicum* fuisse ostenditur, sive *Slavonicum*. Ait namq; Eginhardus, *Ad littus Australe Sclavi, & Aisti, & aliæ diversæ incolunt Nationes.* Jn id etiam cosentit *Cassiodorus*. (q)

Germani quando huc venerunt.

Germani autem, in Livoniam, & Curlandiam, primò venerunt, Anno Christi 1200, & Mercaturam exercendo, mores suos importarunt, simulq; fidem Christi invexerunt. (r) Primi verò qui fuerint? non constat: infertur tamen, jam tunc Cruciferos Germanos in Prussia Dominium exercuisse, & *Bremensium Lubecensium* mercatorum opera usos fuisse. (s) Quod autem Germani Cruciferos sequentes Slavicam Gentem in his Oris repererint, patet ex ipsa appellatione illorum, quæ Gentem peregrinam denotat. Communiter enim dicuntur *Niemcy* à Polonis. Si autem hujus nominis originem trahamus à *Nemetibus* antiquis Germaniæ Populis, nil prorsus pertinet ad Livoniam, Prussiam, *Pomeraniamq;* cum illi prope Rhenum habitarent in superiori Palatinatu, inter *Moguntiam & Argentoratum* ubi nunc *Spira* Civitas antea *Nemetæ* dicta (t) a qua & Populi *Nemetes* sunt appellati. Sed vix credo veteribus Slavis

id

(p) *Plinius Lib* 4. *Cap.* 15.

(q) *Cassiodor. Lib.* 1. *Epist:* 2.

(r) *Gvagninus Chron: Sarm. Lib.* 5. *Par.* 1.

(s) *Balth: Russow. in Præf: ad Par* 1. *Henricus Bangertus ad Arnoldi Lubecensis Lib.* 6. *Cap.* 8. *in Not: Thom Waisselius in Chron: Prus pag:* 54. (t) *Cæsar. Comment. Bell. Gall. Lib.* 1. *Cap.* 51. *Plinius Lib:* 4. *Cap:* 17. *Tacitus Annal: Lib.* 12. *Cap.* 27.

id notum fuiſſe, & appellationem inde traxiſſe, cum inter hos, & illos nullum prorſus commercium fuerit: ad appellationem autem requiritur plena in populo notitia, ut denominatio communis prompte formari poſſit. Unde appellationis Origo, creditur ſumpta, ab adjectivo *Niemy*, *mutus*, advenientes namq; Germani cum nullum reperirent, qui eos intelligeret, nutibûs, Voces ſupplebant, ad inſtar mutorum. Poteſt etiam dici eos à Cronone fluvio (qui nobis *Niemen* dicitur) appellationem ſumpſiſſe quod ubi primum ſederint novi illi milites a *Conrado* Duce Mazoviæ evocati. Slavos autem ibidem ſuas fixas ſemper habuiſſe ſedes graviſſimi teſtantur Authores. (u) Et certiſſimum eſt, littora Maris Baltici etiam versus *Albim* prius nota fuiſſe ſub nomine *Slavoniæ*, quam ſub Nomine *Pomeraniæ*. (w)

§. 16tus.

P*ruſſi*, quòd Slavicæ Gentis fuerint, nil certius. Etenim, ſive per ea loca *Venedos* ſive *Svevos* extenſos fuiſſe, dicamus conſtat, utramq; Gentem Slavonicam fuiſſe. Nam *Venedi* idiomate cum Slavis conveniebant, ita, ut ex reliquijs eorum (quos in Moravia audivi loquentes, differenti idiomate à Moravico, tamen Slavonico) facile arguamus, eandem cum Slavis Originem habere. *Jornandes* etiam, qui fuerint? clarè explicat. *Vinidarum natio populoſa conſedit, quorum Nomina, licet nunc per varias familias, & loca mutentur, principaliter tamen Sclavi & Antes nominantur.* (x) Prin-

(u) *Vide Eginhard: in Vita Caroli M. Cap. 12. Adam: Brem. Lib. 1. Hiſt: Eccl: Cap. 12. ſeqv & Cap 15 & Lib 2 Cap. 31 & Lib 3. Cap. 22. Cromer: Lib 1. Chron: Pomer: Cap: 34. Helmoldus Chron: Slav: L. 1. C. 40 Crantzium L 3 Wandal C 28 Adal Stadenſ ad An* 1118.

(w) *Saxo Gram: Hiſt. Danicæ Lib: 15. Franc: Pith: ad An:* 808. *Brem: Hiſt. Eccl. Lib. 2 Cap.* 11.

(x) *Jornandes Lib. de Reb. Get; circa princi.*

Princeps etiam primus Prussiæ sæculò primò regnans quod Slavus fuerit patet ex ipsius nomine. *Waydewuyt* enim appellabatur. Certe Nomen hoc officij fuerat non proprium; Slavonicum tamen fuisse quis improbet, in illo namq; duo suprema officia includuntur. Quia enim Nobilibus præsidebat *Wayda* sive Palatinatus dicebatur (*Wayda* enim vel *Weda* abbreviatum etiam nunc apud Multanos idem est quod Polonis *Wojewoda*) Quia verò etiam Civitates Regimini ejus subjectæ erant, *Wuyt*, vel *Prætor* appellabatur. (y) Porrò, omnes *Venedi* (quos *Vinidos*, *Vendos Henetos* atq; *Venetos* dixerunt antiqui) Scythico-Slavicæ Gentis fuerunt propagines; à *Tanai* & *Wolga* fluvijs usq; ad *Albim* & *Wiadrum* totam Oram implentes, quidquid à *Finnis*, *Galindis*, *Sudenis* Cestro-vel *Cestobocis* &c: occupabatur. Imò magnam Partem ultra *Wiadrum* occupasse legimus. (z) Quod etiam antiqua denominatio *Sinus Venedici* ab ipsis desumpta probat. Ubi autem desinebat Gloria *Venedorum*, incipiebat *Svenonum*, quos frustra quidam ad Svecicam Originem trahunt, nulla solida ratione id probantes: recentiorum Authorum adjuti suffragiò. Cùm enim *Svevorum* Gens antiquius fuerat nota, quàm *Svedorum*, quomodo non hi potius ab illis Originem ducerent? (a) Deinde ex *Sabellico* probat *Aubanus*, Svevos primos fuisse Prussiæ Jncolas. (b) Satius igitur in Sveciam hi transierunt, quàm Sveci in has oras. Ne autem dicta repetam Svevos partem Slavorum fuisse. Vide alibi jam notata. (c)

In Prussia soli Slavi.

Svevi non Svedi sed Slavi.

(y) *Gvagninus Chron: Sarm; L: 4. C. 2. Paprocki Hort Reg. L 6.*

(z) *Rhenanus Lib. 1 Tit.* Venedi, Slavi in Germaniam *cum Not. Ottonis. Vide etiam Cluv: Sanson Briet: Becman: Cromer: de Orig: Polon.*

(a) *Reynerus Reiniccius Sint Heroici Par. 3 fol. 434.*

(b) *Joan Boëmus Aubanus Lib 3 de Morib. Gentium Cap. 16.*

(c) *Vide hic Par. 3. Cap. 13. §. 16.*

§. 17mus.

Pomerani Slavi.

De *Pomeranis* minus dubium est, illos pariter *Slavos* fuisse. Etenim Rugios disertè Slavos fuisse probat *Helmoldus* & *Crantzius.* (d) *Bastarnas* proximos Venedis *Dio Cassius* locans, Scythicæ Originis facit. (e) (Licet ego *Bastarnas* cum Herodoto, alijsq; locem versùs Pontum Euxinum) (f) Confirmat tamen Authoritas *Dionis* intentum, quòd Populi, sive *Bastarnæ* sive aliter dicti, modo proximi Venedis, non Germani sed Scythæ fuissent. Slavos autem hanc Terram occupasse, & amplissime extendisse Imperium, nominatim, & quasi in Charta Geographica ostendit *Adamus Bremensis.* Dicit namq; octodecim Pagos, seu Regiones, tenuisse, quos omnes numerat. (g) Sed quamvis alia deessent argumenta, ipsum Nomen Pomeraniæ, testatur Incolas Slavos fuisse, à quibus Regio illa, *Pomorska Ziemia* est appellata, & Incolæ *Pomorzanie*, ex quo latinum est deductum, *Pomerania, Pomerani* sc: *Maritimi Homines*, vel ad *Mare habitantes.* (h) Vult quidem *Micrælius*, Pomeranos ex Germanico dictos fuisse *Bomarsos*, & *Pomarosos.* (i) Sed optimè confutatur propter malam Analogiam a *Hartknoch* defendente, derivationem sumi debere à Slavonico *Pomorze*, idest *Regio Maritima* (k) Imo Danos quoq; Scytharū Progeniem esse non improbabile censeo, ex eo quod à Gotthis procedant qui Origine Scythæ fuerunt.

Imo etiam Dani & Suevi.

(d) *Helm. Hist. Slav L. 1. C. 2. Crantzius Wandal. L. 20. C. 20.*
(e) *Dio Cassius Lib. 38.*
(f) *Vide hic par. 3. Cap. 12. §. 6.*
(g) *Adam. Brem Hist Eccl. L. 2. C. 13. Albert. Staden. ad An. 684.*
(h) *Dlugoss. Hist: Pol. L. 1. Miechovita Chron: Polon. L. 1. C. 2. Gvagnin: Hist: Sarm: L. 4. C. 2. Paul: Friderben. Chron. Stetin. Lib. 1.*
(i) *Micræl: Chron. Pomer. Lib. 1. & 6.*
(k) *Christoph. Hartknoch. Dissert: de Orig. Pomer. §. 12. sequ.*

Primus enim *Danus* Dynaſta, Rex à Gothis creàtus, Oligarchiam ad meliorem ſtatum reducens, populos *Danos*, Regionem *Daniam* à ſe vocari præcepit. (l) Aut (ſi *Polydoro* credendum magis) *Daniam*, non à Dano Dynaſta, verùm à *Dacis* populo Scythiæ satius dicendam eſſe, approbabimus. Cum enim *Daci Gothis* juncti, magna clade non ſemel affeciſſent Romanos, tandem à Claudio II. in Myſſia fermè ad internecionem ſublato eorum exercitu, ab Aureliano ultra *Iſtrum* pulſi ſunt. Sub Valente autem ab Hunnis propulſi, in Aquilonarem *Cherſoneſum Cimbricam* ſeſe contulere, oramq; illam à ſe *Daciam* dixere. Inſulam autem in Oceano, haud longe in Arcton à *Dacia protenſam*, *Gothiam* appellavere. Romani autem in veterem *Daciam*, confinem Pannoniæ, ſuas Colonias deduxerunt, quæ tandem nativo Slavorum idiomate *Wlachia* dicta fuerat, quod ab Jtalis (quos *Włochy* Slavi appellant) poſſeſſa fuiſſet. (m) Et ideo Daniæ Reges, etiam *Gothorum* Reges ſcribi poſtulant. Quantum verò ad mores, & idioma; Dani antiqui Slavi fuerant, & primò tunc germanizare cœperunt, quando *Henricus Auceps* Jmperator Germanorum, Regnum Daniæ in Provinciam redegit: & rebellantem populum, *Ottho* Germanis ſubjecit. (n)

*S*vecos etiam primitus Scytho-Slavos fuiſſe probat fuſè *Staniſlaus Lubienſcius*. (o) Ubi monumenta antiqua producit, quæ probant primos illos populos Sarmatas fuiſſe. Sed ipſa quoq; nomina Regum, *Jaromiri*, *Waldemiri*, ſeu *Wladimiri*, *Vilmeri*, *Germundi*, *Jngemiri*, &c. apartè ſunt Slavonica.

(l) *Petrus Bercius Comment: Rer. Germ. Cap.* 17. *Franciſcus Sanſovinus Lib.* 2 *Chronol. Saxo Gram. Lib.* 9.
(m) *Polydorus. Lib.* 5.
(n) *Polydorus Lib.* 6.
(o) *Lubienſcius Oper: Poſthum. Par. I.*

§. 18vus.

Gens Polonorum a Nepotibus Noe fundata perseverat.

Hæc quamvis non adeo claré, & evidenter deducta, de primis Gentibus quæ Poloniæ Regnum primitus incolebant; ſufficiat majori probabilitati innixa adduxiſſe. Dico tamen conſtanter, Gentes iſtas, ſtatim poſt Diluvium, non ſolum hic habitaſſe; nec alias ipſis ſuperveniſſe, tam numeroſas, ut eas prorſus abolerent, & radicitus extirparent, ſed nunc etiam manere illorum poſteros, qui à primis Nóè ſupra addictis Nepotibus, deſcenderunt. Nomina tamen & appellationes ingenuè fateor, aut eſſe plurimum alteratas, aut prorsus alias ſubſtitutas. Cùm enim ſerò nimis Græci literis uſi ſint etiam acta Gentium non ſtatim annotare cæperunt, (idq; finitimarum tantum) vel innominatis, nova impoſuerunt Nomina, vel ſua dialectò, Originaria corruperunt. (p)

Nomina pauca ſunt Originaria.

Ab occidente verò Gentes tunc primum Orbi innotuerunt, quando eorum Romani potentiam ſenſerunt. Unde ab Oriente, plures Gentes ſub nomine Scytharum aut Sarmatarum notæ erant, ab Occidente ſub Nomine Germanorum, à Meridie paucæ ſub nomine *Illiryorum*, ſerò tandem ſub Nomine *Slavorum*. Notitia autem vel prior vel poſterior, de Gentibus, non arguit illarum majorem, aut minorem præ cæteris antiquitatem. Etenim quæ natio prius intulit arma vicinis, notior evaſit, & antiquiùs annotata fuerat; remotiorum, vel, quæ aut inimicitias vitabant, aut ſociæ tantum belli fuerant, origines negligebantur, aut minùs anxiè inquirebantur. Cum multiplicatione autem Gentium, barbaries magis creſcebat, & omnis Dei memoria, ac Polities, à Protoparentibus tradita, oblivioni dabatur. Sicq; omnes, nec Deum, nec immortalitatem Nominis cu-

(p) *Vide hic Par. 3. Cap. 10. §. 3.*

curabant, ſed currebant quacunq; impetus, & paſſio impulit. Unde & illa modica notitia de Origine Gentium quæ in Scriptura Sacra eſt annotata, ſic per longa tempora obliterata eſt, ut vix aliquod illarum veſtigium deprehendi poſſit.

CAPUT VII.
Quod in integro Opere eſt XV. Partis III.

Confirmantur dicta, & amplitudo Gentis Slavicæ, ac Polonorum oſtenditur moresq; illorum; cum Scytho-Slavis conferuntur.

§. 1mus.

Excurriſſe me quiſpiam putabit limites propoſitos, quod, qui antiquarum Regni Poloniæ Gentium ſedes inveſtigare propoſueram, in Thraciam & Germaniam diverterim. Sed præterquam patiatur id, materia, ut more Geographorum limites proprios inveſtigando, alienos tenear adijcere: etiam nec minimum paſſum credo me extra Poloniam feciſſe. Si enim antiquos Regni hujus limites inquiramus, minus me dixiſſe quilibet judicabit, quàm oportebat. Quò namq; Arma Polonorum, & jura proceſſerunt, nondum aſſecutus ſum, ut patebit. Thraciam primò poſueram, hæc enim velut quædam Curia fuerat, ubi conſilium inierunt primi Incolæ, poſteri Noë, quam quisq; ſortem fuerat electurus. (q) Plinius etiam Tractum illum inter Boryſthenem, Tyram, Iſtrum, Hylæam, &c: deſcribens concludit. *Totum eum Tractum, Tauri-Scythæ, & Sarmatæ tenent.* (r) Cum igitur harum Gentium Poloni, ſint

De Thracia Populis cur hic ſermo fiat.

(q) *Vide hic Par. 3. Cap. 10. §. 5. ſeqv.*
(r) *Plinius Hiſt: Natur: Lib. 4. Cap. 12.*

ſint propago, non rectè me feciſſe judicarem ſi eam Oram mutus præterirem.

Jn propinqua etiam Thraciæ, Bulgaria, &c: Vladislaus II. Rex Poloniæ & Hungariæ, excuſſit Arma Turcarum Imperatori, ipſamq; Thraciam occupaſſet, niſi infelix conflictus ſub *Warna*, ſortem mutaſſet. (s) Ubi Rex (diſperſo ſuo Exercitu) cum paucis Polonis, magnam ſtragem inter Turcas fecerat. Vim tandem, multitudinis non ſuſtinens diſparuit. Nec corpus ejus inventum eſt. Quibusdã indiciis probatum, in Hiſpaniam, tranſiſſe, ibiq; ſub ſpecie Pauperis Eremitæ, pænitentiam egiſſe, quòd fidem promiſſam in ſervandis inducijs (licet Pagano) non ſervaſſet. (t)

§. 2dus.

Urbes in Germania a Polonis extructa.

Verſus Occidentem etiam, extendebatur Regimen Polonorum ad *Viſurgim* fluvium, ſeu *Weſſer*, ubi propè Mare veniens *Lechus*, cum *Czecho* (ſive per hæc Nomina ſignificentur Duces ſive populi, nunc minimè contendo) Civitatem in rippa *Viſſurgis* fundarunt, eamq; *Bremam* ex Slavonico dixerant (nam *Bremia* vel *Brema* pondus ſignificat) quod poſt exantlatos labores ibidem requieverit. (u) Długoſſus vult dictam ideò, quòd incurſionibus *Pyratarum*, & *Germanorum* expoſita, pondus belli ſuſtineret fortiter. (w) Alij (non tàm aptè) deducunt Nomen à *Grom* ſpecie navigij, quod priusquam Urbis plateæ ponte conjungerentur, navigio flumen tranarent homines. (x) Denominatio namq; prior eſſe debuit, antequam populoſa exurgeret Civitas, ut utramq; rippam occuparet.

Aliæ

(s) *Długoſz Tom. 2. Hiſt. Pol: Lib 12.*

(t) *Paprocki Hort: Reg L.3. citans Peregrinationem Leonis de Roſmital.*

(u) *Gvagninus Chron: Sarm: Lib. 1 Par. 1.*

(w) *Długoſſ: Tom. 1. Hiſt: Polon: Lib: 1.*

(x) *Joann: Wachman. in Deſcrip: Reip: Bremenſis.*

Aliæ quoq; Urbes à Successoribus Lechi consequenter sunt ædificatæ, & Nomem Polonicum à Conditoribus ex occurrentibus circumstantijs sortitæ. *Międzyboż* nunc *Magdeburgum* Wislaus: *Dalen* seu *Dalenberg* Sobeslaus condidit. *Lunam* quæ nunc *Luneburgum* (a splendore Lunæ nocturno, qui Polonis *Łona* dicitur) *Bukowica* nunc *Lubek*: *Zweryno* nunc *Sweryn* & Castrum *Raciborż*, ijdem posuerunt. *Lubow* Castrum quod à *Miclone* conditum est, Germani postea *Miklemburg* appellarunt: ex Græco tandem, *Megapolis* seu *Magna Civitas* fuit denominata. *Gilow* à *limo* quod Polonis *Jl* antiquis *Gil.Warla* à crudelitate, *Zwanowa* à nova appellatione vel a *vociferando*. Et plurima similia suũ nomen à posteris Lechi sortita sunt. Porro *Myßna* à murium abundantia (nam *Myß* Polonis, *Mus*, dicitur) *Zgorzelica* à conflagratione: Provinciæ insigniores dici meruerunt. Quarum Provinciarum prima hodie *Mysnia*, altera *Brandeburg* Germanicè dicitur. Omnia hæc, imò plura, sub Potestate Polonorum vel si tunc nondum innotuit, & divulgata est hæc denominatio) sub potestate *Slavorum* fuerant. (y) *Wizimirus* Princeps Poloniæ *Sivardum* Daniæ Regem se invadentem, postquã fregisset, & *Daniam* tributariam fecisset secundò rebellem persequens, *Jaromirum* Ejus Filium, multosq; Danos duxit Captivos: in reditu *Wismariam* à suo nomine condidit, & ex spolijs Danorum *Dantiscum* ædificavit. (z) Patet igitur primam Poloniæ Rempublicam, a fontibus Vistulæ per omnem *Silesiam*, *Misniam*, *Saxoniam inferiorem*, *Pomeraniam*, *Cassubiam*, *Prussiam*, aliasq; Regiones, etiam ultra Mare, in Daniam extensam fuisse, idque sæculò quintò, & sextò.

Mysnia & Brandeburgũm Polonæ Provinciæ.

Dania tributaria Polonis.

Zwieryn

Gilow

§. 3.

(y) *Dlugos. Hist: Pol. Tom.* 1. *Lib.* 1. *Cromer. Lib.* 2. *in Lescone III. Kadlubek Lib* 1. *Epist:* 14. *Paprocki Hort. Reg: Lib,* 3. *Adam, Brem: Hist. Eccl: Lib.* 1. *Cap.* 10. *Helm: Chron. Slav: Lib.* 1. *C:* 2.

(z) *Gvagninus Chron: Sarm: Lib:* 1. *Part:* 1.

§. 3tius.

Forma regiminis apud Scythas.

Hæ Gentes, & Regiones primò anarchice, deinde democraticè, tandem Aristocraticè regebantur. In Dynastias quasdam distincti populi, singuli juxta Tribus suas, vel à Primoribus, vel à prudentioribus sententiam expectabant. Majores discordias per compromissum præstantiores Tribus dirimebant, frequentius ad id Argipæi eligebantur. (a) Aliquando Legati ex varijs Districtibus in condictum locum convenientes, unanimi consensu, illud determinabant, quòd optimum videbatur. Locus verò ad ordinarios Congressus & Comitia, unus assignabatur. (b) Ad extraordinarias consultationes, oportunior eligebatur. Uti accidit in Congressu illo magno, quando Principes Scytharum, de suscipiendo bello adversùs Darium consultabant. (c) In illis Comitiis, quilibet Dynasta, vel Legatus illius sensum suum proferebat, & quid ex re agendum esset aperiebat: deinde quid præeligi deberet, communi assensu concludebatur. Quandoq; sententiis in diversa abreptis, medietas hanc, medietas aliam opinionem sequebatur. Donec eventus ostenderet, hoc præ illo consilium esse arripiendum. Sic accidit in prædictis contra Darij invasionem Comitijs. Nam *Gelones, Budini & Sarmatæ*, auxilium *Scythis* obtulerunt. *Tauri, Melanchlæni, Agathyrsi, Andropbagi* & *Neuri*, illud negarunt, postea, omnes, illi bello se implicuerunt.

Comitia tum generalia, tū particularia.

Sacerdotes etiam & Ministri Sacrorum, ad consilium admittebantur, quòd illi à Dijs consilia capere crederentur. Si displicuerat cujuscunq; sententia, fremitu, & indignatione ex-

(a) *Vide hic par.* 3 *Cap.* 12. §. 12.
(b) *Vide hic par.* 3. *Cap.* 14. §. 8.
(c) *Vide Herodotum Lib.* 4 *Cap.* 19.

excipiebatur. Si placuerat? concussione frameárũ, & strepitu armorum, approbabant dicta, præsentes. Nec honoratius quidquam fuerat, quam armis laudari. (d) Sic omnia difficiliora negotia expediebantur, nullo Supremo Principe dominante, sed communi libertate, & unanimi consensu dubia resolvebantur. Nam diu, nulli Reges populo fuerunt; sed Principes vel Duces, in singulis Provincijs electi, expediebant obvia negotia; ad majora concludenda, vel personaliter ijdem Principes conveniebant, vel legati mittebantur, ad Generalia Comitia, qui in privatis, aut particularibus concilijs sancita, referebant.

Modus & forma Comitiorum.

Quod nedum apud Ponticos Scythas, sed apud Slavos etiam, diu observabatur. Nam & harum Provinciarum Dynastiæ, similiter consultabant: præter *Ranos*, sive *Rugios*, his enim solis Reges dominabantur. (e) Ab ingressu autem *Lechi*, sive sæculo V. Monarchicum Regimen invaluit, circa *Wartam* & *Vistulam*. Ita tamen democratiâ fuerat temperatum, ut populus quoq;, in ijs quæ publicam utilitatem respiciebant, votum suum, & authoritatem interponeret. Quantum verò ad bellum gerendum, & Provincias gubernandas, summum jus circa Reges manebat. Ipsi soli Duces erant populo, & vitam pro salute illius exponebant, tributa imponebant, & quidquid placuit determinabant, æquali potestate in omnes utendo. (f) Substituebant aliquando, consangvineos, aut Filios, regendis Provincijs, vel exercitui ducendo: sed hi, à nutu Supremi Domini dependebant. Serò nimis sub Casimiro M. ad consilium admissi Prælati, ac Proceres, sub Vladislao III. Senatûs

Monarchicum regimen assumptum.

Comitia reassumpta.

Con-

(d) *Claudianus de Bello Getico Sidonius Apollinaris in Panegyrico Soceri Aviti Augusti Procopius Hist: Got: L 2. C 7. Ditmarus Hist: L. 4.*

(e) *Helmoldus Chron: Slav: Lib. 1. Cap 2.*

(f) *Vide Compendium Politicum Pyrrhys. de Varillæo Par. 1. C. 1. & 2.*

Consilia suscepta, tandem sub Sigismundo I. Comitia reasumpta, & antiqua libertas, Nobilitati restituta. (g) Primitus verò, libertas quidem Nobilitati servata fuerat, sed agenda è voluntate Principis dependebant, omnesq; Provinciæ juxta Monarchiæ placitũ, immediatè, sive per Delegatos, regebantur.

§. 4tus.

Ubiqve æquale regimen.

His legibus, ac consvetudinibus, universa Gens Slavorum, qua latè patuit, gubernabatur, & exceptis Ranis (Pomeraniæ non adeo magna portione) omnes liberi fuerant, per Provincias distincti. A Ponto, usq; ad Mare Balticum, & Adriaticum, sicut diversos non legimus populos, ita nec mores illorum, atq; gubernium dissimile (nisi forte accidentaliter) fingere debemus. Postquam verò citeriores populi, ut pote *Pomerani, Silesii, Ligii* &c. Lechitis accesserunt ipsi quoque more hujus Gentis liberæ, regi cœperunt. Cum autem Prussia, nunc magis Germanos, quam Polonos imitetur, non abs re erit, ejusdem Gentis originem, ac nomen paucis inquirere. Populus hic, ex *Gothis, Alanis, Amaxobijs* cæterisq; Gentibus Sarmato-Slavicis coalescens, commendatur ab Authoribus, quod in eo fuerint viri hospitales, modesti & pacifici. (h) Sed postquam *Schandinavi* cum Duce *Brutheno* huc venissent (i) magis Idolatriam propagarunt, & tributa dare retractarunt. Tandem divisa Provincia per *Waydewuytum* inter filios, candorem antiquum & Nomen mutavit. Incolæ verò à suo primo Duce *Bruteno Bruthenı* sunt appellati. Nobilis quidam ex Mazovia fugiens Ducem suum, & Populum apud Gentem il-

Prussia Slavica Regio.

(g) *Compendium Polit: Pyrrhys de Varillæo Par. 2. & 3. Cap. 1. & 2.*

(h) *Æneas, Sylvius, Miechovita, Erasmus, Stella Lc:*

(i) *Vide his Par. 3. Cap. 13. §. 18.*

illam traduxit, quod à *Mazovitis* per contemptum *Brutheni* dicerentur, Unde bellis hoc evicerunt, ut amplius non *Bruteni* verum *Prutheni* appellarentur. (k)

Alij tamen Prussorum nomen deducunt à *Prussia* Rege Bithiniæ, qui ab Annibale contra Romanos incitatus, & vim eorum non sustinens, fugiens navibûs in hanc Terram delatus est. (l) Sed *Prussiam* (ad quem *Annibal* confugerat) à Filio fuisse occisum in *Bithynia*, non in Prussia occubuisse, testantur graves Authores. (m)

Propius veritati videtur accedere *Hartknoch*, qui rejecta utraq; sententia, *Prussos* à flumine *Ros* (quem *Russi* accolebant) *Pruthenos* autem, à flumine *Prut*, nomen sumpsisse, fusè probat. (n) Quod & a *Ros* & à *Prut*, huc confluxissent populi.

Et hoc quidem probabilius. Nam vetus *Prussorum* idioma, cum *Samogittarum* & *Lithvanorum* lingva coincidens, satis demonstrat primos Incolas, Sarmatas fuisse. Licet postea Slavonicus loquendi modus, adeo fuerit immutatus, ut intelligi vix possit. Multa quidem verba sunt Slavonica, sed literis, & syllabis truncata, ut *Tawa* Pro *Twoia*, *buk* pro *bądź* vel Ruthenico *bud* &c: Multa ex Græca mixta nam *Krywe Kryweyto* significans *Supremum Dominum* ex Græco *Kyrie*, & Slavonico *Kyr*, immûtatum est. Latina quoq; plurima in illorum sermone reperiuntur ut pote *Dziewos* pro *Deus*, *Saulas* pro *sole* &c. Ex quo patet etiam Græcos in his oris habitasse, sive illi à *Prut* venerint, sive unà cum Russis, inter quos frequentes Græci habitabant. (o) Latina verba invecta sunt ab Jtalis,

Vetus Prussorũ idioma Slavorum sed corruptum.

(k) *Paprocki Hort: Reg Lib. 6. Par: 2.*
(l) *Miechovita Hist: Lib. 2. Cap. 8.*
(m) *Plutarch in Annibalo. Justinus Lib. 34. Cap. 4. Livius. Lib. 45. Cornel: Nepos in Vita Annnibal: Cap 12.*
(n) *Hartknoch in Dissert: de Orig. Pruss.*
(o) *Vide hic Par. 3. Cap. 12. §. 4. 15. &c: Herodot: L. 4 C: 17.*

qui *Palæmone* Duce fugiendo bella Civilia, inter *Marium* & *Syllam*: Item inter *Cæsarem* & *Pompejum*, in oras Maris Baltici venerunt, per littora ejus dispersi sunt. Deinde ulterius procedendo, in *Lithvania* consederunt, quæ ab Italis, *Italia* deinde corruptè *Litalia* tandem, *Lithvánia* dicta est. (p) Adsunt plura hujus indicia, nam multæ Familiæ & Stemmata Italorum sc: *Corvinorum Columnorum* &c: etiam nunc reperiuntur. Supersunt etiam Nobiles Familiæ *Scipionum*, *Quintiorum Gastoldorum* &c. Hi ergo Itali, mixti Græcis, ac Slavis idioma depravarunt,

Litvania unde dicta est.

§. 5tus.

Nulla igitur Gens præter Scytho-Slavicam incolebat littora Maris Baltici *Jornandes* ab Alpibus & Ortu *Vistulæ* per immensa spatia *Vinidos* consedisse dicit. *Slavos* autem à *Slavino Rumnensi*; ad Civitatem *Novam* mansisse testatur. (q) Paulus Diaconus *Gepidas Vandalos Gotthos Hypogotthos* hic locat nulla autem ex his, Germanica Gens dici Potest. Addit verò, *Hos omnes, Nomen tantum, & nihil aliud mutantes, unâq; lingvâ loquentes* (r) Si quos autem melius quam Wandalos Slavicè lucutos fuisse scimus.

Longobar di Scytho-slavi.

Longobardos, idem, dicit, ex Scandinavia venisse, quem alij Sueci, ac Danici Authores libenter sequuntur: sed in ipsa expeditione ipsorum, quando? & sub quibus Principibus accide-

(p) *Math: Strykowski Hist: Litva: Lib. 2. Cap. 2. Sarnitius Annal Pol: Lib. 6. Dlugoss: Hist: Polon: Tom: 2. Lib: 10. Miechovi Lib. 2. Gvagninus Chron: Sarm: Lib. 1. Par. 1. Hartknoch Differt: de Republ. Curonum & Semgalorum* §. 3.

(q) *Jornandes de Reb Gothic: Cap. 5.*

(r) *Paulus Warnefrid: de Gest: Longob: Lib. 1. Cap. 1.*

derat? variant. (s) Si tamen ipsum *Warnefridum* benè revolvamus, intelligemus eum Sarmatas voluisse exprimere. Dicit namq; eos vestimenta laxa fluctantia, & plerumq; linea portasse, quæ limbô, quoq; colore vario, exornare solebant. Item; usos fuisse calceis ad pollicem usq; fatiscentibus, eosq; ligularum multitudine obligare: caput ab occipitio rasisse &c. (t) Hæc omnia Polonos Antiquos exprimunt, ex quorum vetusti imaginibus, & vestes, & calceos, & rasuram capitis, non dissimilem cognoscimus. Cum apud Germanos, & capilli in cincinnos torquenrentur, & vestimenta adeo stricta fuerint; ut omnes fermè artus corporis exprimerent, ut refert Tacitus. (u) *Longobardos* cum Anglo-Saxonibus magnam in moribus, Legibus habuisse Analogiam: dicit *Spelmanus*, (w) quos Slavos fuisse per omnem rationem constat, sedes quoq; Anglo Saxonum, & Longobardorum sibi plurimum vicinæ fuerant. Imo ex illis quæ toto Capite 13. dixeram colligere poteris Gentes Maritimas Scytho-Slavicas fuisse.

Tacitus Gentes Slavicas ex relatione describens Germanicas facit.

Quod autem, plurimas Gentes, ex enumeratis, ibidem, *Tacitus, Ptolomæus, Julianus Cæsar*, Germanicas esse dicant, non tantùm nos movere debet, ut dictis assensum præbeamus. Tacitus enim, plurima, ex fama, & Narratione, tùm Militum Romanorum, tùm ipsorum Germanorum, scripsit eo tempore, quando Galliæ Belgicæ rationes procuravit, ut colligitur ex illis: dictis *Illuc usq; (& fama vera) tantum natura.* (x) Ubi dicit, Oceano, sive Mari Baltico, terminari naturam, sc: Mundum, ultra nil esse (juxta veterum Philosophorum sententiam) Dicta autem, *famá* sive narratione, se accepisse fatetur.

(s) *Joan Magnus Lib* 8. *Cap.* 17. *Saxo Gram: Lib.* 8.
(t) *Paulus Warnefrid: de Gest: Longobard. Lib.* 4. *Cap.* 23. *Bonfinius Lib.* 8. *Decad* 1.
(u) *Tacitus de Morib: Germ. Cap.* 17. 38
(w) *Spelmanus in Gloss: Arch: Bonfinius Lib* 8. *Decad:* 1.
(x) *Tacitus de Morib: Germ: Cap.* 45.

Idem de *Ptolomæo* dicendum, qui has oras non adivit, & ipse *Micrælius* (licet alias pro Germanis stet) probat eum circa latitudinem Maris Baltici errare (y) Ex quo infertur, etiam circa locutionem Gentium, ac dispositionem locorum, non adeò certa producere. Julius Cæsar pariter relata aliorum suis commentarijs inserens: tantùm dicit, quantùm audivit (si excipias quibus ipse adfuit) ut notatur à Cellario. (z) *Cluverius* etiam plurimis argumentis evincit, *Suevos* pro *Chattis* substituisse Cæsarem, imò etiam hos, gratis appellari *Suevos* ostendit. (a) Optimè, & ad rem præsentem, Svetonius. (b) *Pollio Asinius parum diligenter, parumq; integra veritate compositos.* (sc. Commentarios à Cæsare) *putat: cum pleraq;, & quæ per alios gesta erant, temerè crediderit: & quæ per se, vel consultò, vel etiam memoriâ lapsus perperam, ediderit:* existimatq;, rescripturum, & correcturum *fuisse.*

Idem Ptolomæus, Cæsar & Paulus Diaconus fecit.

Plinius quoq; tam confundit Gentes, ut apertè constet illum aliorum dicta recitasse. Etenim *Vindalos*, seu *Vandalos* & omnes accolas *Vistulæ* Germanos facit, itemq; *Basternas*, & *Peucinos*; quos *Dacis* conterminos esse dicit. Nunquam autem circa *Daciam* auditi sunt Germani. Prodit autem se dicens: littora Maris *Baltici* ignota prorsus esse. *Reliqua littora incertâ signata famâ* Item dum ex aliorum sententia non Germanos, sed Sarmatas ibidem locat, dicens: *Quidam hæc habitari ad Vistulam usq; fluvium, à Sarmatis, Venedis, Scirris, Hirris, tradunt.* Infra verò, contrarium videtur asserere fateturq; se diversitatem sententiarum solum recitare. T*oto autem*

hoc

(y) *Micrælius Chron: Pomer. Lib* 1 *num*: 20.

(z) *Julius Cæsar Comment: Bell: Gall. Lib.* 6. *Cap:* 26. & 33. *Vide ibidem notas Cellarij.*

(a) *Cluverius Germ: Antiqv: Lib.* 3. *Cap.* 5.

(b) *Svetonius Lib.* 1. *Cap.* 56.

hoc Mari ad Scandim usq; fluvium, Germanicæ accolunt Gentes, haud explicabili mensura, tàm immodica tradentium discordiâ. Præterea fabulosa de *Hippopodibus* sc: hominibus pedes equorum habentibus, de *Fanesioris* qui immensis auribûs tegebantur; produnt, eum aliena narrasse. (c) Accusatur etiam à *Delackampio in Notis*, de plurimis erroribus Historiæ naturali, ex sententia aliorum intrusis.

Paulus Diaconus Res Longobardorum descibens, in situ facile errare potuit. Licet enim ipse quoq; *Longobardus* fuerit Originalem locum tamen Gentis suæ minimè vidit, in Jtalia natus. Imò à nullo oculato teste id addiscere potuit, cùm circa finem Longobardici Jmperij: jam quinta generatio numeraretur post ingressum Longobardorum in Jtaliam, cum historiam scripsit.

§. 6tus.

Milites etiam Romani, si quid Ducibus, & Historicis suis retulerunt, id solo auditu perceperunt, cùm èa, quæ ultra *Albim*, sive *Elbam* fluvium agerentur, nullus perspexerit. Semel tantùm ad Albim processerant, sub *Augusto* Legiones, idem flumen pro suis habendo limitibus. (d) Sed *Quinctiliô Varrô* occisô, aquilisq; per Pomeranos ereptis, Victoria vix in Rheno stetit. (e) Aquilæ & arma, per lucos ab incolis suspensæ, atq; defossæ, binæ illarum vix recuperatæ. (f) Ultrò etiam fatetur Seneca inter Rhenum & Albim ubi Drusus Castra posuerat *vix ullos esse Romanos, notum erat.* (g)

Romani nunquam ultra Albim Regiones viderunt.

Ma-

(c) *Confer: Plinium Lib. 4. Hist: Natur: Cap. 13. & 14.*
(d) *Tacitus Annal: Lib. 2. Cap. 14. seqv: & 61.*
(e) *Tacitus Annal: Lib: 1. Cap. 43. 55. & Lib. 2. Cap. 45.*
(f) *Tacitus Annal: Lib: 1. Cap. 60. & Lib. 2. Cap. 25. 41.*
(g) *Seneca Consol: ad Marciam Cap. 3.*

Mare autem *Balticum?* adeo timebatur à Romanis, ut ei classem imponere nunquam ausi fuerint. Tentavit illud navigare *Drusus Germanicus*, Herculis columnas inquisiturus, *Sed* (inquit Tacitus) *obstitit Oceanus, in se simul, atq; in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit, sanctiùs atq; reverentiùs visum, de actis Deorum credere, quàm scire.* (h)

Neq; curiositas, vel utilitas quempiam in oras istas evocavit, cùm persvasum habuerint, nil ibidem, utilitatis reperiri: quod idem refert Tacitus *Quis porro præter periculum, horridi, et ignoti Maris, Asiâ, aut Africâ, aut Jtaliâ relictâ Germaniam peteret? informem terris, asperam Cælo, tristem cultu, aspectuq; nisi sit Patria.* (i) Julij Cæsaris arma represserunt *Cis*-Albini (Moderni Pomerani) qui tandem ulciscendi ardorem furentium Militum cohibuit, ne ultra flumen erumperent timens à tergo Germanos. Satius duxit societatem cum illis populis ineundam, ut contra exarcebatos (si necessitas urgeret) auxilium ferrent Romanis. Dicta concludit Strabo, subdens *Quæ trans Albim, ad Oceanum sunt, nobis prorsus sunt in cognita. Nam neq; priorum, quempiam compertum habemus, illud littus præternavigasse versùs orientem, usq; ad Caspij Maris fauces; Neq; ultra Albim sita, Romani adierunt: sed ne terrestri quidem itinere quispiam illa perlustravit. Neq; an tota illa ora Oceani aliqua sit portio, quæ vel ob frigus, vel alia de causa habitari nequeat. Item an ailiud Genus hominum Orientalibus Germanis, & Oceano sit interiectum.* Eadem ignorantia reliquorum deinceps ad Boream Vergentium, ab eo indicatur. (k)

Testimonium de his à Strabone datum.

Hæc igitur certa narratio ostendit, quidquid scriptum est à Latinis de nostra Sarmatia, ex auditu notata fuisse, cùm Ro-

Scytho Sarmatia à nullo unquam armis subacta.

(h) *Tacitus Germ: Cap. 43.*
(i) *Tacitus Germ: Cap 2. Vide Senecam de Providentii Cap. 4.*
(k) *Strabo Geograph: Lib. 7.*

Romani, nec ab Occidente ultra Albim, nec ab Oriente ultra *Danubium* & *Tyram* processerint. Porro docemur à Justino Scythas nostros in Asia Regna fundasse, ipsorum verò Regiones nulli unquam subjectas, vel armis exagitatas fuisse. Sic ille de Scythis Europæis: *Imperium Asiæ ter quæ si vere, ipsi perpetuò ab alieno Imperio, aut intacti, aut invicti mansere. Darium Regem Persarum turpi à Scythia summoverunt fuga. Cyrum cum omni Exercitu, trucidaverunt. Alexandri M. Ducem Sopyriona, pari, ratione cum copijs universis deleverunt. Romanorum audivere, non sensere arma. Parthicum, & Bactrianum, Imperium, ipsi condiderunt. Gens laboribus, & bellô aspera, vires corporum immensæ. Nihil parare, quod amittere timeant, nil victores, præter gloriam concupiscunt.* (l) Constat ergo, nulli unquam armato patuisse Sarmatiam, quam Commentarij Castrenses hac occasione describerent. Scythis autem parebat Europa, patebat Asia, completaq; est in illis benedictio Nöé, quam *Japheto* dederat. *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem.* (m) Asia enim Sem data, paruit Scythis Europæis, posteris Japhet. Ipsorum autem sedes immunes semper fuerant, nec dominium patiebantur exterorum.

Multæ confingun tur de speculatoribus Scythiæ

Quæ verò narrantur de speculatoribus terræ sub *Octaviano Augusto* ex *Bithynia* in has Oras missis, ut videant utrum? sub *Cancro*, & *Capricorno* habitabiles sint Regiones (n) fabulis proximum judico. Quod patet ex nomine unius Mathematici superstitis, *Dywonia* appellati. Hoc enim nomen, purè Slavonicum non Græcum est, *Speculatorem* sive *Inspectorem* in Rutheno significans. Non dissimilem judico narrationem *Dionis*, de muliere monstrosa, *Druso* disvadente, transitum ultra *Albim.* (o)

(l) *Justinus Lib. 2. Cap. 3.* (m) *Gen: 9. ℣. 27.*
(n) *Gvagninus Chron. Sarm. Lib: 4. Par. 1 Christianus in Chron: Pruss: Paprocki Hort. Reg. Lib. 6.* (o) *Dio Cassius. Lib. 55.*

§. 7mus.

Germani nunqvam dominabantur Polonis.

Jmò, primis temporibûs, nec ipsis Germanis, benè perspecta fuerat Sarmatia. Cùm facilius invenias, Sarmatas atque Slavos, in vicinam Germaniam & Pannoniam venisse, quam è contra. Verum quidem sæculo VII. dum discordi duodecim Palatinorum Regimini subesset Polonia, circa *Gnesnam* Germani, & in *Pannonia* (vastatis superioribûs Regionibûs) ad limites Poloniæ comparuerunt Galli, sed à *Gracho* utriq; pulsi, & profligati sunt. (p) Non nego, aliquando Cæsaribus, à Polonis tributa: fuisse soluta. (q) Non inde tamen inferendum illos Germanis aliquando subjectos fuisse. Donativa enim, & munera, sæpius gratum animum, non semper subjectionem significant. Nonne Romani etiam *Sabinos* & *Gallos* aliquando graves senserunt, nonne *Porsonam* insultantem, *Væ victis*! audierunt. Nil tamen simile (Gratia Dei) sensit unquam Polonia.

Si Romani? Domini Orbis, Scythis tributa dantes, nil gloriæ suæ præjudicarunt. (r) Quid ignominiæ Polonis? si idem præstitissent Germanis? Satius enim judicarunt, pacem ex una parte redimere, eo tempore; quandò cum *Roxolanis*, *Lithvanis*, *Tartaris* confligebant; quàm ambiguo se bello implicare. Certe si gloriosissimus Victor *Carolus Magnus* limites *Silesiæ* (quæ tunc Polonorum fuerat) non attigit, Slavos solos Superioris Moraviæ, Bohemiæq; subjugans: defacto alium similem Jmperatorem, fortioremq; ipso, nunquam Polonia sensit.

§. 8.

(p) *Dlugosz Hist. Pol: Tom. 1. L. 1. Gvagn: Chron: Sarm: L. 1. Par. 1.*

(q) *Ditmar: Lib. 5. & 6. Wippo in Vita Conradi Solici. ad An: 1032. Otto Frisingen: Chron: Lib 6. Cap. 28. Bonfinius Lib. 2. Decad. 2. Æneas Sylv: Hist. Bohem. Cap. 19.* &c.

(r) *Vide hic Par. 3. Cap. 12. §. 3. 21.*

§. 8vus.

Nulli ergo fuerunt Germani primis temporibûs intra fines Poloniæ. Serò deinde advenerunt, idq; aut specie amicitiæ, vel titulo honesti obsequij. Et primò quidem sub *Miecieslao* II. Rege *ignavo. Rixa* ejus uxor plures Germanos induxit, eosq; promovit. Quod a Polonis duriùs exceptum (præcipuè quod tota Moravia & Provinciæ circa Albim fluvium, partim a Bohemis, partim ab *Henrico Imperatore* avulsæ fuissent) (s) Germanos cum Regina pepulerunt.

Germani quando in Poloniam introducti.

Sequentibûs Annis majus damnum Regno attulerunt, sub prædicto Miecislao hac occasione. *Maslaus* Pincerna Regis, Tractum Płocensem gubernavit, videns omnia negligenter agi, Ducatum *Mazoviæ* rapuit, tenuitq; Tyrannus; donec à Casimiro I. victus, & in Crucemm actus, vitam, & Regimen amiserit. (t) Putant quidam, ab hoc *Maslao, Mazoviam* fuisse denominatam; ego tamen credo non à tam privato, & ignobili homine, *Mazoviam* Nomen sumpsisse; sed a Principibus antiquis qui in Prussiæ toto illo tractu, dominabantur *Mazonesq;* dicebantur (u) vel à *Massagettis* qui à Danubio in hanc Regionem migrarunt. (w)

Lescus albus in comitijs Sandomiriensibus Fratri suo *Conrado* & Successoribus ejus hunc Ducatum *Mazoviæ*, *Cujaviam*, & Terram *Dobrzynensem* jure feudi permisit (x) (Nescio quo Titulò, *Coringius*, nulla Authoritate fretus, Germaniæ

Ee2 Ma-

(s) *Dlugoss Hist: Pol. Tom. 1. Lib. 1. Gvag; Lib. 1. Par: 1.*
(t) *Cromer Hist: Pol. Lib* 4.
(u) *Paprocki Hort. Reg: Lib,* 6.
(w) *Sarnicius Annal: Polon: Lib* 1.
(x) *Martin: Cromer Lib: 30. Dlug: Lib.* 6.

Mazoviam adſcribat. (y) Succeſſores *Conradi* etiam Regnum *Haliciæ* ſibi adjunxerunt (z) Poloniæ quidem *Mazovitæ* ſemper ſubjecti fuerunt, ſed à Pruſſis Jdolatris perpetuò exagitabantur. Bellis itaq; fatigati, cum Duce ſuo *Conrado* (ſvadente Chriſtinò Epiſcopo Culmenſi) *Cruciferos*, ſeu *Equites Teutonicos* introduxerunt Anno Domini 1227. (cum jam ante viginti Duos Annos ſimilis Ordo à *Bartholdo*, ArchiEpiſcopo Rigenſi ejudemq; Urbis Domino, inſtitutus fuiſſet) Ea verò conditione Cruciferi ſunt in Pruſſiam admiſſi, ut Fideles ab incurſionibus paganorum defenderent. Conceſſus illis fuerat tractus inter *Viſtulam* & *Drwętiam* fluvios, pactò! ne in Polonos quidquam hoſtile agerent, aquiſitas Terras, æque inter Polonos, & ſe dividerent, & acquiſitis contenti, ditionem Culmenſem reſtituerent.

Cruciferi in Pruſſiam evocati.

§. 9nus.

Miſſus à quarto Magiſtro hujus Ordinis *Hermano- de Salza*, *Conradus Langravius* Haſſiæ cum aliorum Equitum viginti milibus (a) In principio glorioſe contra gentiles pugnabant, Sed ineſcati Bonis, nil deinde ex pactis obſervare voluerunt. Imò frequenter irritatis Litvanis, eos in Terras Chriſtianorum evocabant, & Sangvis Chriſtianorum ipſorum caûſâ, profundebatur, Archiepiſcopum Rigenſem Fundatorem ſuum, propria ſede pepulerunt. Alioſq; plures Epiſcopos, bonis & Eccleſiis ſpoliarunt. *Fratres Minores* ſtrenuè in converſione Infidelium laborantes *Brunsbergâ* pepulerunt. (b) Cum autem, etiam ditiones Polonorum vaſtarent, ac

Crimina Cruciferorum.

(y) *Herman: Coringius de Finib: Imper: Germ Lib.* 2. *Cap* 18.
(z) *Stanislaus Lubieńſki Tract: de jure Regn: Pol: pag.* 180. *Nadangi Hiſt: Hung. Lib.* 2. *Cap.* 16. *Kadlubko Chron: Pol L.* 4. *C.* 14.
(a) *Gvagnin: Hiſt: Sarm: Lib.* 4. *Par.* 1.
(b) *Clemen: VI. Bul:* Jn Vinea Chriſti 1311.

Civitates raperent, Incolas trucidarent, *Vladislaus Locticus* arma contra eos indixit, & sub *Sufrido* Commendatore, cum *Gedimino* Lithvaniæ Duce, eorum viginti millia prostravit, Anno 1333. *Vladislaus Jagiello* 1411. eorum quinquaginta millia trucidavit, quatuor decim millia in Captivitatem duxit, Casimirus IV. eos attrivit, & ad subjectionem Regno Poloniæ debitam compulit.

Jlli tamen libertati se restituere tentantes: aucto Germanorum Exercitu & depressis Slavis. Primò *Fridericum* Ducem Saxoniæ: deinde *Adalbertum* Marchionem Brandeburgicum, in Magistros Ordinis eligerunt. Hi tamen Principes in Verba Regis jurare noluerunt, imò *Adalbertus* etiam Religionem Catholicam deserens, cum Lutheri dogmata secutus fuisset, à Sigismundo Rege Poloniæ in angustias redactus erat, vixq; Prussiæ partem jure feudi obtinuit (quæ Ducalis vocatur) abdicato Magisterio Ordinis, & pulsis Equitibus Teutonicis ex Prussia. Filius eius *Albertus*, *Fridericus*, mente alienatus, à *Stephano Batoreo* Curatorem Ducatus, & sui; *Georgium Fridericum* Marchionem Brandeburgicum assignatum habuit. Cujus Successores a *Joanne Casimiro* eundem Ducatum pariter jure feudi obtinuerunt. (c) Cruciferi ergo in Pomeraniam, Prussiam, Livoniam, aliasq; ditiones, Germanos Slavis superinduxerunt, contra suos Patronos infidi, & rebelles, paciscendo cum exteris suis amicis de minuendo Regno Poloniæ. Ditiones Principibus suis Germanis, tradiderunt: & Regiones Slavicas, Germanis repleverunt.

Prussiæ Pars a Polonia rescinditur.

§. 10.

(c) *Dlugoss. Hist: Pol. Lib.* 6. & 9. *Martin. Comer: Hist. Lib.* 7. 11. 12. 15. 16. 18. 22. *Gvagninus Chron: Lib.* 4. *Paprocki Lib.* 6. *Gaspar: Schuzius Chron: Prus Lib.* 1. 2. 3. 10. *Petrus Swenze Chron: Pomer. Lib.* 2. *Neugebaver. Hist. Polon. Lib.* 3. 5. 7. *Kojallowicz Hist. Litvan: Par.* 2. *Lib.* 2. 7. *Junuszowski. Lib.* 7. *Constitut: Reg. Polon: Par.* 3. *Tit:* 1.

§. romus.

Antea verò Germani, ſolum intra *Rhenum*, & *Viſurgim* tanquam in proprio natali ſolo manebant, aliunde tamen Originem ducentes. Ipſos namq; *Genebrardus* (d) ex *Chananeis* (qui gladium Moyſis ac Joſue fuerunt) probat eſſe multiplicatos. Et licet *Serrarius* dictum *Genebrardi* improbet (e) minimè tamen negat, *Aben-Ezram* aliosq; Rabinos antiquitùs traditum habuiſſe; *Chananeos* in Germaniam ſeceſſiſſe, quos vocant. (f) Id *Gorropius* fuſe confirmare videtur, dum idioma Germanicum cum Hæbraico confert, probatq; antiquam lingvam Germanicam Hæbraicis conſtitiſſe radicibùs, & immediatè ab illa deſcendere. (g) Quod etiam Grotzius & Leybnitzius efficaciter probant. (h) Clariſſimus Vir *Busbequius* qui plurimis annis, in Aula Turcica converſatus fuerat, candidè fatetur, idioma Scytharum Orientalium, cum Germanico ita convenire, ut ſola dialectò videatur differre. (i) Arabico autem utuntur ſermone, cum Hebraico, conveniente. Et defacto nedum ex prædictis, verùm ex mòx adducendis planè infertur lingvam Hebraicam Matrem eſſe Germanicæ & Germanorū appellationem, ab Hebræo, ſive Phænicio

Idioma Hebraicum cum Germanico convenit.

Ge-

(d) *Genebrardus in Chron: ad An: Mundi* 2709.
(e) *Serrarius in Joſue Cap.* 12. *Qu:* 9.
(f) *Elias in Tisbi fin. Litt: N. Aben-Eſra: in fin. Obadiæ Targum Hieroſol. in Cap.* 3. *ỷ.* 5. *Cantic: Vide Bochartum Chanaan Lib.* 1. *Cap.* 23. *Lazium Chron. Vienn: Lib.* 1 *Cap.* 1. *Sheringamum Cap.* 4. *Nicol: Gurtlerum Hiſt: Univer: Lib.* 1 *Cap* 3. § 8.
(g) *Gorropius in Orig. Antverp.*
(h) *Grotzius in Prolog ad Hiſt: Gott: p* 8. & 18. *Leibnitius in Not: ad Tacit: & Script: Brunſvic: Tom:* 2 *Carion in Chronico Lib.* 4. *p.* 625.
(i) *Busbeqvius Epiſt:* 4.

120

Gerim bani id eſt *Pauperes Advenæ* deducunt, ipſorummet Scriptores. (k) Hebræi quoq; (Incolæ quondam Majoris Aſiæ) omnia idiomata, & dialectos Judæorum manentium in Polonia, Italia, Gallia &c: barbara vocant præter idioma Hebraicum in Germania, quod propter affinitatem lingvæ minus corruptum judicant. Unde lingvam Germanicam non vocant extraneam, ſed Lingvam *Aſkenež* (l) ſupponentes *Aſcenem* Filium Gomer hac lingva uſum fuiſſe. Vel potius dicendo hanc lingvam eſſe *Aſcenicam* ſeu *Aſiaticam*.

Germani probant ſe eſſe progeniem Chami.

Quod etiam Germani ex Aſia Majori ducant originem ſentit *Kriegsmannus*, qui Theutones, à *Theut* deſcendere putat, Ipſum vero *Theut* dicit fuiſſe *Chanaan* Chami Filium. (m) Conſentiunt ei, plurimi Germanorum, ſe ab Ægyptijs procedere dicentes, quorum Anteceſſores cum Hercule venientes, ad Rhenum primi ſederunt. (n) Certiſſimum autem eſt Ægyptios eſſe *Chami* progeniem, imo ipſum *Cham* in Ægypto regnaſſe, ſub nomine *Metzor* vel *Mezraim* probavi ſupra. (o) Confiirmant id ex alio fonte nonnulli. Quod *Is idem* ſpeciale Numen Ægyptiorum, impenſius colerent Germani, ſub ſpecie Liburnæ, teſte Tacito. (p) Quotannis Menſe Martio, in honorem eidem Deæ, navem onuſtam muneribus, in mare demergendo (q) in memoriam, ſe in his terris ſub auſpicio hujus Deæ tuto manere, licet peregrinos. Qui etiam *Treviris* antiquitatem jactant: dicunt hanc primam Civitatem in Europa fuiſſe extructam, atq; munitam, ante Chriſti Nativi-

Treviris antiquitas.

(k) *Matth: Bernegger & Kirchmayer ad Tacit: Germ: Cap. 2.*
(l) *Vide Lexicon Boxtorfij Verb.* &
(m) *Kriegsman de Germ. Gen: Orig. Cap 8.*
(n) *Bochartus in Canaan Lib. 1. C. 23 Gurtlerus in Orig: Mund. Lib. 1. Cap. 3. §. 9.* (o) *Vide hic par. 3. Cap. 4. §. 11.*
(p) *Tacitus de Morib: Germ: Cap. 9.*
(q) *Colerus in Not: ad Tacit: dic: loc.*

tatem Annis 1496. à *Trebeta*, Fratre *Nini* Assiriorum Regis. (r) Cum autem Ninus ex progenie Cham descendat, etiam *Trebetam* cum socijs suis, ab eodem stipite descendisse planum est.

Nonnulli probant esse Scythas.

Non desunt tamen graves Germanorum scriptores, qui illos à Scythis descendere probant (s) Sed adeo confundunt nomen *Scythicum*, ut dicta, modo Scythis Europæis, frequentissimè *Scythis*, Asiæ Majoris, seu Tartaris, videantur accomodari: Plinius verò illos Scythis Europæis adjungit, ob morum antiquam ruditatem, & Barbariem, imo Scytharum Nomen sibi adscivisse dicit; *Scytharum nomen, usq; quaq; transijt, in Sarmatas atq; Germanos.* (t) Et quidem more *Scythico* homines in victimam Dijs obtulisse, meminit Tacitus (u).

Huic alij contradicunt.

Sed conclamat, Mundumq; fastu implet *Cluverius*, vindicans Nobilitatem Germanorum, asserens gloriæ Gentis derogare, *Saxones* à *Sassanibus* vel *Sacis*; *Cimbros* à *Cimmerijs*; *Mysnios* à *Myssis*; *Turingios* à *Tyregetis*; *Cauchos* à *Cauconibus*; *Frysios* à *Phrigibus* descendere, cum amplior gloria Gentis sit domestica, & à Japheto Origo. (w) Pariter increpat *Agrippa* eos qui, aliunde Germanos in has oras adducunt. (x) Excipit *Cluverius*, turpe esse, Germanos à paludinosis locis *Mæotidos* adducere, vel ab inculto Septemtrione evocare? Aut ex Græcis crevisse, Trojæ invasoribus, qui satius latrones, quàm milites dici merentur.

§. 11.

(r) *Kyriander de Orig: Aug: Trevir. Johan Masenius in Annal: Trevir.*

(s) *Cluverius Germ: Antiqv. Lib. 1. Cap. 9. Kriegsman de Orig: Germ Cap. 8. Bochartus in Canaan Lib. 1. Cap. 23. Rupertus in Observ: ad Besold. Hist: Univers. Cap. 1. Gurtlerus. Lib. 1. Cap. 18. §. 2. Hornius in Præfat. ad Boxhornij Orig. Gallic.*

(t) *Plinius Lib. 4. Cap. 12.*

(u) *Tacitus de Morib: Germ. Cap. 9 Procop: Lib. 11.*

(w) *Cluverius Germ: antiqv. Lib. 1. Cap. 3.*

(x) *Henricus Cornelius Aggrippa Lib. 5. Epig. 1.*

§. 11mus.

Sed, pace Magnorum, & eruditissimorum Virorum! dixerim pueriles has esse acclamationes, & iras. Quid obstat Parentes mari mersos fuisse, si ego in sicco maneam? quid mihi maculæ Antecessorum? si non inquinatus pergo, aut nævum detesi? Perge! ad *Lacedemonios*, *Athenienses*, *Romanos* & cæteros Nobilissimos Populos. Nonne illorum Protoparentes ex Pastoribus, latronibus, pyratis progeniti; tam gloriosarum Gentium, primores fuerunt. O! miserum hominum genus! nonne omnium in mundum introitus æq. fædus est? sic initium nostrum, & exitus putredo est, ac stercus, & tamen fastus, his minimè attendit principia sua variis imaginibus, & fucatâ superbiâ cohonestari volens! Verùm ad originem prætensam Germanorum, & ad lamenta prædictorum Auctorum redeo Antiquius ne nota fuerat gloria, & victoriæ Germanorum? quam Scytharum? priùs ne illi cum Romanis conflixerunt? quam Scythæ? cum *Dario* & *Alexandro*? imo cum ipsis Romanis? Augustiora forte probabunt de Antecessoribus suis? quam Scythæ? (y) Superest, ut se cùm Atheniensibus, & Lacedemoniis & *Aborigenes* dicant.

Si igitur, nec ab *Helesponto*, nec à Mari *Jonio* nec à *Mæotide*, nec à *Septemtrione* Antecessores Germanorum venerunt? superest, ut juxta primam sententiam Chananæos esse dicamus. Primos tamen Populos suppono, non immediatè ex Asia, transisse in Germaniam; sed ex *Carthagine*, quando *Phœnicenses* commertiorum gratiâ, omniâ Maria pererrabant. Tunc enim etiam *Rhenum*, *Mosellam* &c; fluvios ingredi poterant, & rippas proximorum fluminum incolere cum Siciliam, *Sunt reliquiæ Chananæorum.*

(y) *Vide hic P. 3. C. 12. § 3. 9. & C. 14. §. 11. & C. 15. §. 3. 2. seqv. §. 5.*

& Hispaniam certum sit illos tenuisse. Elúcet id in genio Gentis, quæ tota negotiationibus occupatur, prædominari cupit, ædificiorum magnitudinem, & divitias amat, artificijs incumbit. Hæc omnia cum illis concordant, quæ supra de *Tyrijs*, & *Phœnicensibûs*, (à quibus orti Carthaginenses) annotavi. (z) Si autem iter pedestre commodius elegerunt? suppono, fretum Herculis primò transisse, Inde terrestri itinere, in Helvetiam, deinde in alias oras, migrasse. Dum etenim Scythas, se esse negant, ostendere necesse foret, quâ viâ progenies *Japhet* in has oras migravit, ex Asia? Non circa *Dardanelilas*, quia quia prima littora màris *Jonij* Græci antiquitùs occupabant à quibus se descendere negant; latrones, & vagos appellando, à quibus turpe est originari. (a) Non per *Bosphorum* quia omnia Regionem *Ponticam* Scythæ inhabitabant. Non circa Mare *Caspium* aut supra *Volgam* quia hic totus tractus Scythicus est, & erat. Præterea Septemtrionales oras tanquam barbaras incultas, & asperas, prædicti Authores contemnunt. Nec ullam Gentem inde venisse probant (contra Diaconum, Jornandem & alios) superest ergo, *Chananæos* primò ex Asia? in Affricam, migrasse; ubi soli Filij *Cham* manebant, & dominabantur: deinde hinc in mediterranea Europæ transisse & Germanorum Genti originem dedisse. Hoc tamen Genti Nobilissimæ nil obstat scimus enim quàm famosi ibidem erant Carthaginenses? quàm Sanctitate commendatùs *Augustinus*. Quantæ eloquentiæ *Tertulianus*, quantæ pietatis *Cyprianus*, quos omnes Affrica genuit, nutrivitque.

Quomodo in Europam transierunt.

§. 12.

(z) *Vide hic par.* 3. *Cap.* 8. §. 8. 10. 11.
(a) *Brietius in Antiqv: Biblic: ad Text.* Dilatet Deus Japhet.

§. 12dus.

Quod igitur nomen abhorrent alij; & originem quam exteri aversantur; Poloni non subterfugiunt, sed innata sinceritate, quemadmodum ab alijs Sarmatæ appellantur, ita se ipsos dicunt. Imo efficatius probare intendo; etiam nunc clara manere Originis antiquæ indicia, tùm in idiomate, tùm in nonnullis moribus. Barbaries de qua ab Authoribus primi Scythæ notati fuerant, jam exculta. Verùm quæ natio? vel Populus? ostendetur? cui ante lucem Evangelicam hæc macula non adhæserit, sive in mactandis hominibus, sive in violandis juribus Gentium, sive in fundendo Civium sangvine? adeo, ut Scythas in his modestiores semper me legisse sincerè fateri debeam. Quod Jmperatores Romani? quod Consules numerabantur? qui ferrò subditorum non occubuissent. Imò etiam nunc non ne se Regum suorum polluerunt sanguine, extra Sarmatiam populi, & supra Cervices Dominorum visæ sunt Carnificium secures. Non sic Poloni! apud quos Principum publica scelera solò exiliò (eoq; extremò, ac vix quandoq; practicatò) plecti novimus. (b)

Poloni sunt verè Scytho-Sarmatæ.

Quanti constitit primos Evangelij Præcones plantasse fidem veram inter Gentes, scimus, legimusq;. Nulla fere Gens tanta facilitate submisit colum jugo Christi, ut Poloni. Quot tortores lassati? quot catastæ confractæ? quot funes rupit? quot catenæ, ac compedes consumptæ? quot laminarum, & ferri expensum in tormenta, primorum, vel secundariorum Apostolorum, in alijs Europæ Regnis, *Sarmatæ*, seu *Poloni* tanta fa-

Facillime ad fidem Catholicam conversi.

(b) *Vide Hartknoch de Reb. Polon. Lib. 2. Cap. 9 §. 6 Opalinski in defensa Poloniæ contra Braclav. Fridericus de Marselaer. de Legato Lib. 1. Cap. 29. Poszinski in Panegyr. Augusti II.*

facilitate acceptarunt Evangelium ut plantandæ fidei, suffi-ceret una *Dąbrowka Miecislai* uxor. Cur? nisi, quòd hæc Gens minùs barbariei habuisset, & quòd (lumen naturale secuti) præstantioribùs virtutibùs, & rara tunc in Orbe justitiæ cultura corda, ad recipiendum bonum semen parasset. In *Divum Adalbertum* Prussi, crudeles armati sunt. Sed ij jam tunc à purorum *Sarmatarum* virtute degenerarunt, per *Scandinavos*, & *Danos* corrupti, quibus commiscebantur. Plures extra culturam morum nævi, qui in Scythis antiquis notantur, aut speciem extrinsecam enormitatis præseferunt, aut particularium Personarum, aut Provinciarum fuerunt consvetudines.

Cur hæ Regiones antea incultæ.

Desertam multis in locis Regionem fuisse non nego. Sed ratio status id exigebat, ne inhiantes liberati *Scytharum* vicini, superbi, invenirent pabula, & commeatum; quod expertus est *Darius*. (c) Bella etiam continua minimè permittebant. Viris militaribus agriculturam. Quod etiam contigit proximis temporibùs: donec pactum cum Turcis firmaretur. Tota enim *Podolia* &, *Ukraina* (Terra, verè, lacte & melle fluens) adeò deserta fuerat, ut verificaretur illud Ovidij, quod etiam de antiqua Scythia referebat. (d)

Quocunq; aspicias, campi cultore carentes
Vastaq; quæ nemo vindicet arva jacent.

§. 13tius.

Scythæ domos ædificabant.

Interea tamen, inter Scythas plures erant, qui & agros colerent & hortos plantarent. (e) Non omnes etiam plaustris, pro domibùs usi (ut supposuit Tacitus.) (f) Cum plures

(c) *Herodotus L. 4 Cap. 140. Justinus L. 2. C. 3. & L. 7. C. 3.*
(d) *Ovidius de Ponto Lib. 1. Eleg. 4. V. 55.*
(e) *Vide hic Par. 3. Cap. 12. §. 4. 10. 12. &c.*
(f) *Tacitus de morib. Germ: Cap. 46.*

domos ædificaverint, Civitatesq; incoluerint. (g) Imo fortissima Civitas *Ægipsus* loco inaccessibili, à *Caspio Ægypso* fundata, memorabatur ab Ovidio, *Tomis* inter Scythas manente. (h)

Stat vetus Urbs rippæ vicina binominis Istri
Mænibus, & positu vix adeunda loci.

Tacitus de Domibus Germanorum hæc refert: *Nullas Germanorum Populis Urbes habitari, satis notum est; ne pati quidem, inter se junctas sedes. Colunt discreti, ac diversi: ut Campus, ut Fons, ut Nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis, suam quisq; domum spatio circumdat, sive adversus ignis casus remedium, sive inscitia ædificandi. ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum usus; Materia ad omnia utuntur deformi, & citra speciem, aut delectationem. Quædam loca diligentius illiniunt, terrâ, ita purâ, & splendente, ut picturam, ac lineamenta colorum imitentur.* (i) Nolo ipse Judex, & testis esse, an hæc præcise serviant Germanis, & non etiam Polonis. Quicunq; viderit *Pagos* Poloniæ, jurabit genuinam hanc descriptionem eorum afferri Quod si nunc in domorum ædificatione privatarum Germani cum Polonis conveniunt. id etiam prius accidisse non dubitandum. Adeoque fatendum à Tacito colonias non tam Germanorum, quàm *Slavorum* hic depingi. Plinius quoq; plures Civitates circa *Istrum Borysthenem Tyram* &c: enumerat, ut pote *Istropolim, Cremniscos, Æpolium, Tyram, Borysthenem, Olbipolim, Meletopolim, Carciniten, Taphras, Megarcien.*&c: (k) Imo apud *Melanchlenos* Civitatis *Dioscuriadis* meminit, tàm amplæ, ut teste *Timosthene* in eam trecentæ nationes, quæ dissimilibus lingvis u-

(g) *Vide hic Par. 3. Cap. 12. §. 4. 15. & Cap. 5. §. 16.*
(h) *Ovidius de Ponto Lib. 4. Eleg. 14. ỷ. 57.*
(i) *Tacitus de Morib: Germ Cap. 16.*
(k) *Plinius Hist: Natur: Lib. 4. Cap. 12.*

uterentur, descendere consveverint. In qua centum triginta interpretibûs ûtebantur Romani ad negotia pertractanda. (l) Utebantur igitur *Scythæ*, & *Sarmatæ* equis, atq; plaustris: non tamen illis perpetuo insidebant; sed in domibus quoque & Civitatibus, cùm placeret manebant.

Scythæ erga extraneos morigeri.

Sed neq; mores Scytharum veterum, adeo erant barbari, & importabiles, ut societatem abhorrerent, aut respectu advenarum, ac hospitum, se intractabiles ostenderent. Patet id, quòod inter *Tyrangittas*, *Budinos* &c: Græci commorarentur libenter; cum Argypæis merces commutarent. (m) Justinus mores Scytharum nostrorum ampliori discursu prosequens, his concludit: *Prorsûs ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longâ Sapientum doctrinâ, præceptisq; Philosophorum consequi nequeunt: cultosq; mores incultæ barbariæ collatione superari: Tanto plus in Illis proficit vitiorum ignoratio, quàm in his cognitio virtutis.* (n) *Simile elogium legimus apud Curtium: Scythis non ut cæteris barbaris rudis, ac inconditus sensus est. Quidam illorum sapientiam capere dicuntur; quantamcunq; gens capit, semper armata.* (o) Declarat quoq; id oratio ad *Alexandrum Magnum* sat nervosa, libera, ac culta. Horatius tota Ode Scytharum justitiam, æquitatem, pudicitiam, laudat: & mores illorum Romanis imitandos proponit. (p)

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra, vagas ritè trahunt domos
Vivunt & rigidi Getæ
Immetata quibus jugera liberas
Fruges & Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua:

De-

(l) *Plinius Lib. 6. Cap. 5.*
(m) *Vide hic Par. 3. Cap. 12.* §. 4. 10. 12. 15. *&c.*
(n) *Justinus Lib. 9. Cap. 2.* (o) *Curtius Lib. 7. Cap. 8.*
(p) *Horatius Carm: Lib. 3. Od: 24.*

Defunctumq; laboribus
Æquali recreat sorte vicarius
Illic Matre carentibus
Privignis, mulier temperat innocens
Nec dotata regit virum
Conjunx nec nitido fidit adultero
Dos est magna Parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas:
Et peccare nefas aut pretium est mori.

Certe inurbanitatem, ac crudelitatem Scytharum maxime exageravit Ovidius. Sed si obiter illius Epistolas quis scrutetur, advertet, plura, ultra veritatem ampliata fuisse, eo fine, ut explicatis periculis, barbarieq; Gentis, facilius movere possit Cæsarem, ut se ab exilio jubeat revocari, & Patriæ restitui. Frigus enim illud intolerabile, & inpracticatæ hyemes, non fuissent adeò duræ; si in *Forum Julij* revocatus fuisset. Cùm tamen supra hanc Regionem *Tomis* vix uno gradu versùs Septemtrionem ascenderet *Mare Adriaticum* non fuisset tàm abominabile, licet cum Ponto in eodem gradu ponatur ea sola ratione, quòd viciniora esset Latio. Maximum ergo tormentum fuerat, esse extra Patriam, Interea *Tomitarum* erga se, & alios Romanos, hospitalitatem, ac benevolentiam, satis commendavit, & gratè horum meminit. (q)

Ovidius axagerat barbariem Stytharum.

Quàm grata est igitur Latonæ Dellia tellus
Erranti, tutum quæ dedit una locum.
Tam mihi chara Tomis.

(q) *Ovidius de Ponto Lib. 4. Eleg: 14. ℣. 59.*

CAPUT VIII.

Quod in integro Opere est XVI. Partis III.

De convenientia Polonorum cum Scytho-Sarmatis antiquis in idiomatè, Armis, habitu &c. & cum alijs Gentibus, quæ politiores credebantur.

§. 1mus.

Idioma antiquorum Scytharum erat Slavonicum.

Jdioma antiquorum Scytharum quod attinet, eorum nimirum qui primitivè Europam incolebant, id, extra omnè dubium, erat Slavicum; hocq; probari facillimè potest argumento negativo: Nullum enim indicium alicujus lingvæ extraneæ ostendi potest, Aut certe demonstrare necesse foret quorsum illi primitivi Scythæ? & à quo pulsi fuerant? Cùm autem non interrupta serie ijdem maneant, superesset ostendere quomodo pristinum idioma, ita perdiderint ut illius nullum supersit vestigium. Experimur enim quamlibet Gentem, licet peregrino dominio subjectam, naturæ quodam impulsu, suum conservare idioma, quòd à Parentibus discunt filij. *Slavi* in ditionibus Germanorum residui, licet servitute extrema deprimantur, eradicari tamen ab ipsis, Patrium idioma non potest: ita, quin sint perpetui testes has Terras Slavorum aliquando fuisse. (r)

Neq;

(r) *Vide Joannem Pontanum Lib 6. Rer. Danic: ad An* 1188. *pag.* 280. *Paul. Friedbon: Chron: Stetin: Lib.* 1. *pag.* 6. *Micrælium Chron. Pomer. Lib.* 3. *Par.* 1. *Num:* 6 *Vide etiam hic Par.* 3. *Cap.* 11. § 3. 8. 16 & *Cap.* 13 §. 3. 7. 9. 15. 17. & *Cap:* 14. §. 5. 14. 15. 16. 17. & *Cap.* 15. §. 2. 3.

Neq; hoc idioma ab aliquo alio, tanquam à radice surculus pullulavit. Sed originarium fuit à filiis *Japhet* hujus Terræ primis Incolis, advectum. Primigeniæ namq; lingvæ conditiones habuit, retinetq;. *Primò* quòd conceptum mentis explicare facillime potuerit. *Secundo* quod non adeo durum & imperceptibile foret, qnin illud extranei brevi tempore addiscerent. Nam infra tres annos se profecisse in illo testatur Ovidius. (s)

Nam didici Getticè, Sarmaticeq; loqui.

Si haberemus ejus omnia Opera multum profectum caperemus etiam in arte Pöëtica vernaculo idiomate excolenda. Cum enim nunc præter rythmos: Pöësim aliam non habeamus, ex Ovidio disceremus Metricam artem. Nam versùs Sarmaticè composuisse solus fatetur. (t)

Etiam Pöësis Scythica fuit.

An pudet! & Gettico scripsi sermone libellum
Structaq; sunt nostris barbara verba modis
Et placuit (gratare mihi) cæpiq; Pöëtæ
Inter inhumanos nomen habere Gettas

Aliquid Pöëtices, tentavit *Opalinius* in *Satyrijs* pluresq; alij; perficeretur ars! si foret exercitium, nam quasdam esse breves, quasdam longas syllabas docet nos experientia. Nunquam frangit quantitatem Ruthenus, frequenter Majoris Poloniæ Incolæ. Unde possent versus, tàm dulces componi Polonicè, quam prodeunt Græci, vel Latini. Ita omnes Gentes lamentantur se regulas scientiarum quibus antiqui usi sunt assequi non posse. Et licet in aliquibus novis inventis, una Natio aliâ præcellat, in illis tamen quæ solidam doctrinam respiciunt, vix attingunt veterum perfectionem. Sed aut recens, color, ac fucus, antiquis superinducitur, aut vetera eruderantur.

Scientiarum regulæ, perierunt.

(s) *Ovidius de Ponto. Lib:* 3 *Eleg.* 2. ℣. 40.
(t) *Ovidius de Ponto Lib.* 4. *Eleg:* 12. ℣. 19.

Quod autem malum universi sentiunt; hoc etiam nostra Sarmatia sentit. Si namq; scripta antiquorum Sarmatarum nostræ ætati servata fuissent nil desiderare possemus à Græcis, vel Romanis, antiquiores habendo Pòëtas, atq; Philosophos. Celeberrimus est apud Pòëtas, & Historicos *Orphæus*, omni scientiarum genere instructissimus. Scripsit namq; *Argonautica*, *Astrologica* ac *Philosophica* opera, præstantissima, tùm metrò, tum soluta oratione. Adeò svaviter, ut bestias è sylvis evocasse cantu, & pulsu Cytharæ, lapides ad ædificandas Urbes commovisse, fingatur. Quòd nimirùm, dulci eloquiò, vitam sylvestrem hominibus disvasisset, & ad Urbium ædificationem è speluncis, & latibulis evocasset. Meminit illius Philosophiæ Suidas. (u) Imo quæ diversis *Orphæis* attribuuntur, ad unum Orphæum Scytham genere, referri debere testatur *Tzetzes* (w) *Herculi* coævum vixisse, centum annis ante bellum Trajanum, probabile est. Cùm autem *Troja* capta fuisset 408. annis ante primam *Olympiadem*, inferendum quod vixerit in *Thracia* ante Nativitatem Christi annis plusquam 1183. (x) antequam nomen Græcorum, audiretur. Scytham autem fuisse, probant ipsa *Argonautica* in quibus Gentes, & loca ad Pontum, accuratè sita describit; ut nullus alius melius id præstitisse videatur. In *Thracia* ortus fuerat Patre *Oeagro*, ideo etiam Scythicæ illi denominationes attribuantur, dicitur namq; *Sithonius*, *Rhodopæus*, *Thracicus* &c: Poeta (y) Et taliter illum commemorat Virgilius. (z)

Orphæus præstantissimus Philosophus & Poeta.

Fuit genere Scytha

Nec me carminibus vincet, nec Thracicus Orphæus

Flo-

(u) *Suidas in Orpheijs:*
(w) *Tzetzes Hist: 399. Chil: 12. Lucianus de Astrolog.*
(x) *Juxta computum Calmet in Tabula Chronol: Hist: Bibl.*
(y) *Ovidius Lib. 3. de arte Amand:* ℣. 321. *Sylius Jtal: Lib. 11.* ℣. 466. & 475. *Claud: de 3. Consl: Honorij.* ℣. 113. *Solin: Cap: 9. Salmas: in Solin p. 159. Pausanias Lib. 6.* (z) *Virgil. in Pollione.*

Floruit pariter Insignis Poeta *Aristeas Proconesius* genere, Philosophus, & Poeta præstantissimus qui *Arimaspea*, & *Theogoniam* conscripsit, cujus versus etiam *Delphis* inter Sacra recitabantur (a) in quibus harum gentium meminit quas descripsimus. Vixit Olympiade 55. circa annum ante, Christum natum 562. Ortus in *Proconesso* Insula parva *Propontidis*, in Myssia minori. (b) *Aristeas Scytha Philosophus.*

Quam profundæ scientiæ fuerat *Anacharsis* Scytha Philosophus? Satis colligere poteris ex Plutarcho (c) ubi ejus acutissimæ responsiones citantur Græcorum responsa superantes. Circa hæc, virtutum moraliū, & frugalitatis cultor eximius. (d) Scripsit: *de Legibus Scytharum*, & *vitæ frugalitate* præstantissima opera, utinam pura reperire contingat! Invenit folles, ad excitandum ignem; bicipitem anchoram, & rotam figulorum: omnia utilissima:! (e) Aliqui volendo Scythis detrahere, negabant *Anacharsi* inventionem rotæ figuli; ideo quod Homerus qui Anacharsim præcessit, meminit hujus rotæ in suis versibus. Verum Seneca illum eggregiè defendit, asserens, satius dicendum Homeri versus esse supposititios, quam hoc fabulam. (f) Et non incongruè, nam cum tempore Homeri Græcia literas non noverit versus illius memoriter recitabantur, (g) & facillimè alii extraneorum Poetarum veris Homericis addi potuerunt. Convixit verò Anacharsis Soloni. (h) *Anacharsis Scytha Philosophus.*

(a) *Herodot: Lib. 4. Cap. 13. 16.*
(b) *Plinius Lib. 4. Cap. ult:* & *L. 7. C. 2. Aull. Gell: L. 9. Cap. 4.*
(c) *Plutarchus in Convivio 7. Sapientium.*
(d) *Cicero in Lib. 5. Tuscul: Cap. 32.*
(e) *Plinius Lib. 7. Cap. 56. Strabo Lib. 7.*
(f) *Seneca. Epist: 90.*
(g) *Flavius Joseph. Con: Appion. Lib. 1.*
(h) *Divus Laurentius in Anacharsi.*

Circa annum 662. ante Christum natum. Nec levioris notæ fuerat *Zamolxis* Philosophus pariter Scytha, qui ob singularem sapientiam, post fata pro Deo in Scythia cultus, & tanquam *Saturno* victimæ ex humano sangvine oblatæ. Inter *Getas* Eum floruisse, & in *Thracia* docuisse testantur gravissimi Authores. (i) Quia verò *metempsychosim* docuit, crediderunt aliqui, *Pythagoræ* fuisse discipulum, aut servum, illius in Ægypto, & apud Persas, socium. Sed hoc *Laertij* inventum est, qui gloriam omnem volens ad Græcos transferre, indignum judicabat, apud barbaros prius Philosophos floruisse, quàm in Græcia. Candidius tamen *Hermippius* fatetur, Pythagoram à Thracibus plurima habuisse: Et *Herodotus* testatur *Zamolxem* Pythagorâ longè antiquiorem fuisse. (k) Sive igitur Historicas rationes perspiciamus, sive sub cortice fabularum scrutemur veritatem, apud Poetas etiam Græcos, inveniemus Scytharum Europæorum gentem esse antiquissimam, quàm *Jovis* atq; *Herculii* progeniem dicebant Poetæ. Et prius apud illos floruisse Viros armis, & ingeniò clarissimos, quàm alibi, nec fuisse rudes & incultos, sed æque doctos, ac fortes.

Zamolxis Thrax Philosophus.

§. 2dus.

Fuisse autem in usu idioma Slavonicum, non solùm circa Pontum Euxinum, & in Thracia, sed amplissime diffusum, testatur vox *Thur*, quæ (ut suppono) solùm in Russia apud plebejos in usu est hucusq;. Significat autem, larvatam, & ad terrorem incutiendum aptam, sed confictam speciem hominis, quà tempore Bacchanaliorum, vel solemniorum, per pagos

(i) *Jamblicus in Vita Pythagor. Cap*: 30. *Strabo. Lib*. 7. & 16. *Origenes contra Celsum Lib*: 2. & 3.
(k) *Herodotus Lib*: 4. *Cap*. 96. *Vossius de sectis Philosoph*: C. 3. §. 1.

gos epularum, quispiam ex rusticis uti solet, ad Seniores exhilarandos, & præcipuè ad pueros terrendos. *Sic* larvatus scipione instructus, deducitur per pagũm, hocq; monstrum *Thur* vocatur. Nomen hoc antquissimum est, & fermè ab Origine Gentis Scythicæ usitatum, & per omnes Regione s Slavico idiomate quandocunq; utentes, dispersum. Inter politiores, nullus illius usus est, inter rudes in Russia notissimum est; ideo quod hi morum antiquorum & originalium verborum, tenacissimi sint, (l) adeoq; verbum etiam hoc cum alijs primitivis, securiùs ab illis retentum est.

Thur ergo Deum falsum quempiam significabat, qui in memoriam *Theræi* Patris *Odrysij*, Viri bellicosissimi; vel *Thyræ* filij Japhet, (m) qui diversarum Gentium Scythicarum, præcipuè Thracũm Protoparens fuerat, suscitatus fuerat, & amplissimò cultu, honoratus. (n) *Martem* præcipuè significabat, & terribilem Deũ (ut ex continuato usu, & memoriâ constat) repræsentabat. Ideo fingitur terribilis, quod terrorem Martis socium dixerint Pòëtæ. (o)

Circumq; atræ formidinis ora
Iræq;, insidiæq;, Dei comitatus aguntur.

Herodotus tamen meminit, a Scythis & Sarmatis pro Marte *Acinacem*, cultum fuisse, tanquam principale terroris insigne. (p) *Thur* autem communiter dicebatur ab omnibus Gentibus Slavicis, licet secundum diversa, clymata, nomen diversimodè & variâ inflexione à diversis populis exprimeretur. Unde *Taran, Taranis, Thor Thorn, Trax Trux, Thur, Turas, Thurkas, Thoures, Thuros; Uras, Urius,* & Græca

ab

(l) *Vide Tract meum de Origine Linguæ Polon: Opin: 6 Num 5.*
(m) *Genes; 10. ℣. 2.* (n) *Vide hic Par: 3. Cap. 10 §. 12.*
(o) *Virgilius Æneid: Lib: 12. ℣. 335.*
(p) *Herodotus Lib. 4. Cap: 62. Epiphanius Lib. 1. p. 8.*

ab originali *Thur*, & principali denominante *Thyras* procedunt. Omnia verò nomina idem habent significatum, sc: *potens, terribilis, impetuosus* &c: (q)

Quemadmodum autem à principio Idololatriæ paucis Dijs erant contenti homines, & tantum Solem, ac Lunam adorabant, deinde multiplicatis Gentibus hi duo Dij in plures figuras efformati sunt, & diversas denominationes sortiti. Ita *Thur*, qui apud Sarmatas Protoparentem Bellicosum, sc: Martem significabat, sensim in diversis Nationibus effigiem mutavit, aliquando Jovem, quandoq; Saturnum repræsentando, semper tamen in cruentis Sacris conveniebat, & alterata denominatio, semper *Thurum* respiciebat. Thoro namq; apud Gothos, Svevos, Anglos Danos, imo apud Germanos, homines in bello capti in victimam offerrebantur. (r) Cujus crudelitatis etiam Lucanus meminit. (s)

Et Taranis Scythicæ non mitior, Ara Dianæ.

Adamus Brem. Apud Sveones hunc Deum cultum describens, illum non sub forma Martis, sed Jovis fuisse testatur. *Thor* (inquit) *Cum sceptro Jovem exprimere videtur.* (t) Idem ferme refert *Olaus* tractans de Majoribus Svecorum. Quod *Thorum* exprimerent imagine viri nudi, qui dextrâ sceptrum, sinistrâ septem stellas portabat. Sacerdotes autem, pro impetranda pluviâ, vel aeris serenitate, aut avertendis fluminibus, qualibet hebdomadæ feria quinta sacrificia offerebant. Unde hæc feriâ *Thorsdag* quasi *Tonners-tag*, vel *Donders-tag.* Sc: *fulminum* vel *Jovis Tonantis* dies appellabatur. (u) Hinc &

(q) *Joannes Vossius de Progress: Idolol: Lib. 1. Cap. 33. & Lib. 2. Cap: 57 Suidas Ver:*

(r) *Procopius Hist: Gotica: L. 3. Dubravius Hist: Bohem: L. 1.*

(s) *Lucanus de Dijs Gall. Lib. 1. ỹ. 446.*

(t) *Adamus de situ Daniæ. Num: 92.*

(u) *Ericus Olaus Hist: Svec: Lib 1. Cap. 1 Gobelinus Persona Cosmo: Ætat: 6 C. 6. Wormius Monum: Danic: Lib. 3. p. 149.*

fulmina, à *Thoro*, appellationem sumpserunt diversam, juxta variam Gentium *Thorum* colentium dialectum. Nam Slavi pro *Thoron*, *Peron* Germani pro *Taran* vel transpositis literis pro *Tanar tonner*, Belgæ *Donder*, dixerunt.

Ab hac etiam voce *Taran*, vel *Thor* pars montium Ceraunniorum denominationem sortita est. Nam in *Cilicia*, ubi Mars sive *Taran* impensius colebatur Mons ille à vulgo *Caraman* appellabatur, quasi *Mons Martis*, vel *Jovis*. Latini tandem ad suam dialecton appellationem trahentes, *Montem Taran*, tandem Montem *Taurum* dixerunt.

Jlic *Thuri* Cultus amplissimè propagatus est, quò usq; Slavicæ Gentes attigerunt, unde per Montana Norici *Thurum* populi venerati sunt. A quo montes *Carinthij* & *Carnij* à multis, *Thuri* vel *Tauri* appellabantur, qui in singulares montes subdivisi, variè dicti sunt, addito tamen semper *Thur* vel *Thaurn* quòd indicaret illos montes esse partem Montis *Thuri* ut *Korn-thaurn*; *Krumler-thaurn*, *Felber-thaurn*. &c: Sicut autem à cultu *Thuri*, montes, ita & Incolæ denominabantur. Unde *Carnios* aliquando *Tauriscos* dicebant antiqui. (w) Et *Thuringi*, suam denominationem *Thuro* debent. Dicti enim sunt *Thuringi* quasi *Thur-ingi*. Sc: *Jovis*, vel *Thuri filij* ac successores. (x)

Ex his amplissimis probationibus colligitur. Nomen *Thur* antiquum Slavonicum esse, quod cum soli Russiæ populi retineant, clarè patet Slavicum idioma penes illos remansisse, tanquam hæreditas? & schemma ab antiquis *Scythis*, usq; ad eorum posteros translatum. Infertur etiam, populum qui nunc Russiam Polonam incolit non interruptè successisse *Thyræ* filio Japhet & ab illo suam ducere originem, manereq; in-

---

(w) *Plinius Lib. 3. Cap. 23. Vide quoq; Cluverium Germ: Antiqv: Lib. 1. Cap. 5. & Lib. de Vindelic: Cap. 2.*

(x) *Sagittarius de Antiqv: Regni Thuring. Lib: 1. Cap. 3.*

inter illos aliquem surculum antiquæ Gentis *Thracum*, sive Scytharum, à quibus plurimæ Gentes Europææ, suam sumpsere originem.

§. 3tius.

Potest etiam antiquitas lingvæ Slavonicæ in his oris usitatæ, probari ex *Tacito* qui describens Pontica navigia undique clausa, ea à barbaris *Cameras* appellatas esse dicit. (y) apertè est vox Slavonica. Nam *Komora* nobis significat cubiculum undiq; clausum. Citeriori ævò, hæc vox etiam in Latinum idioma est illata. (z) Falluntur autem qui Græcam fuisse dicunt. *Primò*, quia Tacitus loquitur de *Dacis* & *Ponticis* Populis, qui non græcizabant. *Secundo*, quia idem significat quod inflexum; *Komora* autem, Tacito significat, navim undiq; occlusam instar cubiculi.

Probatur ex Tacito Scytharum linguam fuisse Slavonicam.

Ultra Pontum circa *Portas Caspias* Regio est *Zapovertene* dicta & *Portis Caucasiis* incumbebat rupi ædificatum Castellum *Kumania*. (a) Utraq; hæc vox Slavica est prima, significat *retroversionem*. Quòd accedentes, aut retrocedere à Portis teneantur. Aut expectare donec hi, qui prius accesserunt, transierint angustias. Secunda originem trahit à Slavico *Kum* de quo jam dixeram superius. (b) Ipsum quoq; mare *Caspium* ab antiquo *More Chwalenskie* idest *Mare Slavonicum* nominatur, nam originale *Chwala* & *slawa* fere sunt synonima, & unum pro altero frequenter substituitur, & à *Slawa* sc: *fama*, *Slavi* (idest *Famosa Gens*) dicti sunt.

Ma-

(y) *Tacitus Hist: Libc* 3. *Cap.* 47.
(z) *Carol. du. Fresne ad Alexiad:*
(a) *Plinius Lib:* 3. *Cap.* 11 & 15.
(b) *Vide hic Par:* 3. *Cap.* 12. §. 3.

Manent etiam inter Tartaros modernos affixa primitus Nomina Slavonica, locis antiquis. Nam Fossa à Cæcis Scythis ducta etiam hodie *Perekop*, & Peninsula stricta, instar falcis curva, atq; protensa *Kosa* idest *Curva* vel *falx* appellatur. Plura vestigia lingvæ primitivæ in his oris dominantis, vide supra sparsim. (c) Unde *Janczari* Turcarum milites, antiquorum Scytharum residui qui ex hoc tractu assumuntur, omnes ferme Slavonicè loquuntur. (d) Sed & antiqua nomina Græcis Latinisq; Historijs inserta, licet aliquantulum à Slavonica dialecto degenerantia, produnt originale idioma Slavicum. Nam & *Tomiris* Scytharum Regina, ex Slavonico creditur nomen sortita fuisse. Cum enim bella feliciter sub ejus Regimine succederent, & *Cyrus* victus fuisset à frequentibus acclamationibus Populi. *To Myr! Ecce hæc Author pacis!* Tandem *Tomiris* dicta est. (e) *Tomis* quoq; vel *Tomos* antiqua Scythiæ Urbs supra Pontum Euxinum posita, ubi exulavit Ovidius antiquitùs (teste *Ciosiano*) *Kijow* dicta fuerat: (alia à Civitate *Kijow* quæ est Caput Palatinatûs Kijoviensis, & ab antiquis *Amadoca* dicebatur) Jlla ergo Civitas maritima *Kijow* successu temporis, à Græcis *Tomos* appellationem sortita fuerat. Et quia Græci hoc emporium frequentabant; tandem Romani, victo *Mythridate* eam possidebant, magis assveti Græco, quàm Slavonico idiomati, eam (neglecto Slavonico Nomine) *Tomim* semper dixerunt. Sed licet nomen differret, in re, tamen appellatio conveniebat. Nam Græca dictio *Tomos* significat, *segmentum, frustum partem recissam rei integræ* &c: quæ nomina quadrant tàm Slavico *Kijow*, quam Græcæ appellationi *Tomos*. Græci quidem ac Latini Poetæ *Tomos* appellatam

Alia exēpla adducuntur.

Hh fu-

(c) *Vide citationes ad Calcem Par. 3. Cap. 14. §. 6.*
(d) *Gvagnin: in Prol: ad Chron.*
(e) *Kulczynski in Specimin. Eccl: Ruth. circa fin: fol. 169.*

fuisse Urbem, putant: quod eo loci *Medæa* Fratrem suum *Absertem* in frusta conciderit, eaq; dispersérit, ut eam Pater insequens; in colligendis membris filij, funere, atq; mærore retardaretur (f) Ejusdem ferme sententiæ est Ovidius. (g)

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror Fratris consecuisse sui.

Proxima tamen denominationis occasio fuerat hæc. Quia namq; antiqui *Scythæ*, Civitates, ædesq;, tùm sacras tùm profanas, ligno extruebant (h) & Civitates, palis atq; frustis, & segmentis lignorum, sepire, munireq; consveverant. Ideo, Civitas *Kijow* seu, z *Kijow*, ex *palis*, & *segmentis lignorum composita*, dicta fuerat: cui accessit nomen Græcum synonimum, *Tomos* idem significans.

Famosissimum illud *Regnum Trojanum*, Scytharum fuisse, & Scythicè, sive Slavonice appellatum fuisse probavi in alio meo opere. (i) Hic synopticè probationem collectam, pono. Regio tota, omnium consensu *Troja* semper dicta fuerat. Quod nomen in nullo idiomate Regionis positionem melius significare potest, quàm in Slavonico. Quia namq; inter tria maria Terra illa posita fuerat sc: inter mare *Mediterraneum*, *Archipelagum* & *Pontum Euxinum*, quæ ab Incolis *Troja mora* vernaculè dicebantur, ideo tota Regio, *Troja* appellata fuerat, *Troas* verò Rex, sive (ut communius a Historicis dicitur) *Troasses*, nomen Regno dare non poterat, cùm ipse hac appellatione Regni fuerit posterior: ante quem *Dardanus*, & *Erichtonius* Trojani Reges fuerunt. Et satius ille à Regno, non Re-

Troja Slavonicè sic dicta fuerat.

(f) *Cicero Oratione pro Lege Manilia.*
(g) *Ovidius Lib.* 3. *Trist: Eleg:* 9. ✠. *penult.*
(h) *Vide hic Par:* 3. *Cap:* 12. §. 15.
(i) *Vide Tractatum meum De Lingvæ Polonicæ Origine. Opin.* 4. *Num:* 9. 10.

130

Regnum ab Ipso denominationem sumpsit. Nam ab illo *Troasesa* vel *Troasesia* dici debuerat. Civitas autem, quæ Regione posterior erat, *Dardania* à *Dardano*, *Jlium* ab *Julo* appellata fuerat; rarò a Regione, *Troja* dicebatur. Nomen enim hoc, tanquam proprium Civitati tribui non potuit, nisi per *Synecdochen*, quod hæc esset Metropolis *Trojæ*, sive illis Regionis, quam tria maria ambiebant.

§. 4tus.

Probabile tamen primitivum Idioma Ruthenicæ magis quam Polonicæ dialecto, accesisse; idq; illi, quò nunc vulgus in Palatinatu *Kijoviensi* utitur. Verba namq;, res, atq; conceptum mentis genuinè exprimunt, & ut plurimum cum antiquissimis libris Slavorum conveniunt (ut didici ab his qui similibus libris frequentiùs uti solent) Defactò idioma Polonicum inter Slavica cætera cultissimum est: dulcius, nervosius, & Majestuosius, ut pote continua crisi politum, & à Nobilitate usitatum. Non tamen possum justè affirmare, illud originali propius accedere, quàm Ruthenicum. *Primò* quod dialecto polonica soli Poloni, & per Russiam, ac Litvanam, soli Nobiles ac Cultiores Cives, utantur: Ruthenica verò dialectus, universalior est per *Russiam*, *Moschoviam*, *Dalmatiam*, *Bulgariam*, *Bohemiam Hungariam* &c: diffusa. *Secundò*, quod extranei ut pote Turcæ, Tartari, Germani, Galli, &c: majorem facilitatem experiantur in Rutheno, quàm in Polonico idiomate; naturali quadam propensione inclinantes ad primitivæ lingvæ accentum, qui in Ruthenica lingva videtur latere. Meminit etiam *Dlugossus*, in vertice montis *Biesczad* limitem Polonicum Ruthenicis literis supra petram exaratis ab antiquo definitum

Ruthenicum idioma propius accedit ad originale.

fuisse. (k) Tacitus quamvis nonnullos Populos Germanis annumeret, Slavicum tamen idioma illos tenuisse insinuat. (l) Cujus quidem textum Germani in Notis ad illius librum *de moribus Germanorum* conscriptum, ad se trahunt: patet tamen, aliud prorsus intendisse, Authorem. Constat igitur Gentes à *Bosphoro Thracico*, usq; ad Mare Balticum, & à *Vissurgi* (aut saltem ab Albi) fluvio usq; ultra *Volgam* Sarmatiam extensam fuisse: & in illa (imo in tota fere Asia minori quæ posteros *Japhet* excepit) Slavonicum idioma vulgare extitisse. Quæ tamen apud antiquissimos, *Scythia* nominatur; postea illius pars cultior *Sarmatia* dicebatur, quæ nunc in varias Provincias, & Regna dividitur. Maximam tamen partem tenere videntur *Poloni* qui nullo reclamante, *Sarmatæ* dicuntur & ipsa Polonia *Sarmatia Europæa* denominatur.

Quam late diffusum fuerat Slavonicum idioma.

Quod autem quidam Authores addant *Sarmatiam Germanicam*, defactò hoc, apud veteres nunquam, auditum fuerat; qui expressè *Sarmatas*, à Germanis, ita dividunt, velut anserem, à vulpe; ex quibus Neoterici *Vulpanserem* faciunt. Quomodo enim, Germanos, Sarmatas probare possumus, cum quibus, nec idiomate, nec moribûs, conveniunt. Quia verò Poloni, & lingva sua cum antiquis Slavis, ac Sarmatis concordant & mores antiquos retinent (exceptis, illis quos, vel politia, vel Religio emendavit) veros Sarmatarum successores nemo negat. Unum tamen circa identitatem, & formam loquendi resolvendum est dubium. Cur Græcia, quæ *Japheti* excepit posteros, adeo differat idiomate à Slavis, ut prorsus disconvenire, quilibet ad primum auditum judicare debeat. Verum si ea, quæ superius dixeram huc revocentur, facillimè dubium resolvetur. Probavi namq; (m) hæc tria idiomata *Latinum*,

(k) *Dlugoss. Hist: Pol: Tom:* 1. *Lib.* 1. *fol:* 35.
(l) *Tacitus de Morib: Germanorum. Cap:* 28. 38. 43. 45.
(m) *Vide hic Par:* 3. *Cap.* 7. §. 6. & 18.

Græcum, & *Slavicum*, plus duobus millibus annorum, post Diluvium, in pluribus convenisse. Cujus convenientiæ ibidem, plus supra trigintaexempla (cæteris prætermissis) adduxeram. Tam magnæ autem alterationi qualem nunc experimur, initium dedisse *Cecropem* dixi, qui ex Ægypto plurimos Colonos secum in Græciam adduxit, & fundatis duodecim Civitatibus Atheniensium Reipublicæ fundamenta posuit. Novi ergo Coloni antiquis prædominantes & subjecti populi, Dominorum loquelæ se accomodantes, Ægyptium cum Slavico idiomate confuderunt, & Græco modo loquendi elementa formarunt. (n) Quibus superveniens Cadmus ex Syria (eo tempore, quando Ægyptij cum Syris in idiomate conveniebant) nedum confusionem pristinam auxit, verùm datis literis, & propositâ formâ scribendi. (o) Vetus idioma Slavicum prorsus obliteravit. Igitur pro certo tenendum est, totum tractum Septemtrionalem, infra, & supra *Bosphorum Thracicum*, progenie Japhet repletum, uno idiomate convenisse: ac totam antiquam Scythiam, unius moris, & lingvæ fuisse. Obliteratæ, autem Scythiæ appellationi, successerunt aliæ Gentes, inter quas, etiam Poloni numerantur: Protoparentum, morumq; Successores.

Græcum idioma, cur discon veniat à Slavonico.

§. 5us.

Et primùm quidem, inter fortiora argumena, est, *constans Patriorum morum retentio*: in quo, cum antiquissimis Scythis conveniunt, quòd, admodum veterum Sarmatarum Poloni à Patrijs institutis prorsus avelli non possint, & tùm formam Regiminis, tùm mores inviolatè servent. Hinc est, quod agnita semel Catholicæ Fidei veritate, constantes in ea permaneant.

Sarmatarum antiquorum constantia.

Quod

(n) *Vide hic Par: 3. Cap. 10. §. 3.*
(o) *Herodotus Lib. 4. Cap: 46. 16.*

Quod si hæreses, & peregrina dogmata aliquando irrepserint (ob mobilitatem animi privatorum, vel incuriam Principum) error mox emendatus, & ad pristinum statum omnia reducta. Hæreses autem, & diversitas politici instituti, ibi dominatur, ubi superinducti à Cruciferis Germani, numerò suo gentem Slavonicam vincunt, unde nec moribús, nec amore Patriæ, nec stabilitate in othodoxa fide, cùm Polonis conveniunt.

Hæc autem constantia, & immutabilitas, cum sangvine à veteribus Scytho-Sarmatis in posteros transfusa est, apud quos nec Sacra (quamvis falsa fuerint) nec habitum ab antiquo usitatum fas erat immutare. Exuere affectum in Patriam credebantur, qui induerentur peregrinis Immutationem habitús, cum Paternorum morum ruina conjunctam putabant, & imitationem extraneorum, servitutis omen, atque prodromum judicarunt. Quod uno atq; altero exempló sufficiet comprobare ex Herodoto. *Anacharsis* Philosophus conquirendæ scientiæ gratià, multam peregrinationem suscepit, *Helespontum* præternavigans, vidit *Cyzycenos* Matri Deorum Sacra facientes; vovitq; post faustum in Patriam reditum eadem Sacra celebraturum. Quod cum explere cæpisset in *Hylæa*, unus Scytharum id advertens, *Saulio* Regi nuntiavit, qui cum venisset, ac peregrinas advertisset ceremonias, sagittâ *Anacharsim* enecavit, vitam simul & famam ipsius extingvendo; adeo, ut *Anacharsis* quamvis celeberrimi toto orbe Philosophi, ne reminisci liceret inter Scythas.

Scythæ & Poloni tenaces antiquorum institutorum.

Alterum exemplum adfert idem Herodotus de *Scylle* Rege Scytharum, qui Bachanalia celebraturus more Græcorum, in Urbem *Borysthenitarum* descendebat, & clausis portis, mutatoq; Scythicó, in Græcum habitu; intra Urbem, ubi Græco-Scythæ habitabant, cum illis, *Bacho* sacra faciebat. Quod cum advertisset unus Scytharum, reliquis nuntiavit. Id resciens. O-

Octomades Frater *Scyles* contra advenientem surrexit. Cumq; hic in *Thraciam* fugisset, bellum *Thracibus* intulit. Illi conciliando Scythas, *Scylen* tradiderunt, cui *Octomades* Caput amputavit. (p) Idem genius usq; hodie inest Polonis, ut novum quid, licet optimum, difficulter illis persvadeas, maximo argumento excusantibus. *Hæc nova esse.* Hinc est quod in fide enutriti, in illa stabiles sint, & firmi, teste *Baronio* (q) Rudiores autem Villani, etiam quasdam vetustas ceremonias, mordicus, tanquam sacra instituta retinent, quæ tamen supportantur, quod nil fidei, ac bonis moribus obstent.

§. 6tus.

Quod de Religione dicitur, idem sentiendum de externis moribus, qui in vestitu & usu armorum, vix in aliquo mutatus, ab antiquo perseverat. Igitur more antiquo (quo & Romani usi sunt) tunicas oblongiores infra genua protensas (ut refert de Romanis Quintillianus) (r) portare solent Poloni. Ferme eadem formâ, quâ usus est *Augustus Octavius* Teste *Svetonio.* (s) *Togis neq; restrictis, neq; fusis; Clavô, nec latô, nec angustô.* Usus talium vestium oblongarum apud Slavos, antiquus, atq; perpetuus fuerat. Uede sagi longiores quibus peregrinantes utebantur *Sclavinæ* sive *Sclavinnæ* dicebantur. (t) Licet autem vestes Polonorum quadratas appellare possemus, quod extremitates illarum, ubi ipsæmet aperiuntur in angulos desinant. Qúia tamen antiqui, morum ho-

Vestes Polonorum more antiquo.

(p) *Herodotus Lib.* 4. *Cap.* 78. *seqv, ad* 81.
(q) *Baronius in Appendice ad Annal Tom* 7. *de Ruthenis.*
(r) *Quintillianus Lib.* 2. (s) *Suetonius in Octavio Cap.* 13.
(t) *Malbrancus de Morinis. Lib.* 10. *Cap.* 18. *Herbertus de Miraculis Lib:* 1. *Cap:* 25.

honestati providentes, eas claudere, & zonis, sive cingulis adstringere solebant: idq; successores, virtutum æmulatores, observent; satius *Cycladum* nomen (sc: vestium clausarum, quos antiqui Slavi *Zupas* vocabant) illis tribuendum judico. Et hôc solò, vestes Polonorum ab antiquis Europæ populis differre videntur, quòd non fluitent more Romano, sed undiq; clau dantur, & honestatis commodiq; gratia, ad arcendum frigus, corpori adhæreant nec non cingulò adstringantur. Herculem suum (ut putabat antiquitas) Progenitorem imitantes, quem taliter cinctum testatur Herodotus & Seneca. (u)

Cinguntur more antiquo.

Attracto religans ilia balthæo

Aurô, Argentòq; apud Nobiliores cingula distingvuntur. Veteres, vittâ crassiore sericâ auro distincta, utebantur, quam claudebat Subula ejusdem metali similis illi qua usus Justinianus. (w) *Par habitus par forma fuit vestisq; rubebat*
Concolor, atq; aurò lucebant cingula puro.

§. 7mus.

Lævum latus, ornat framea, sive gladius, non quidem baltheo applicatus sed distinctis cingulis appensus, quos aliquando bullæ aureæ, vel argenteæ, quandoq; gemmæ distingvunt: id etiam more antiquo. (x)

Frameamrum usus antiquus.

Bullis hostilibus asper
Subligat à læva fulgentem baltheus ensem

Distinctum, & absq; framea procedere in publicum, nefas. Quodsi Domi arma deponat quispiam (si nullus adsit hospes distinctioris notæ) discingi tamē præsentibus extraneis turpe est. Cùm enim tota Nobilitas pro *Lege*, *Fide*, & *Patria* militiam

(u) *Seneca in Hercule Furente ait: 2. in Choro. Herodot: L. 4. C. 10.*
(w) *Corrippus Afric: de Laud: Justin: Num: 1.*
(x) *Sidonius Apollin: Carm: 2.*

profiteatur: Distinctum esse quempiam (quemadmodum & inter Romanos Milites) minus honestum judicatur. (y) Usus hic vestium antiquissimus, ac per totam *Asiam*, *Affricam*, à *Sinensibus*, *Japonensibus*, *Mauris*, *Turcis*, *Scythis*, servatur adusq; in Europa; communis quondam apud Romanos, nunc quoq; apud Venetiarum Nobiles, imò etiam & apud Græcos (ubi sola prostibula, curtis vestibus uti recepimus. (z) Et in tota Scythia Europæa, Sarmatia, Slavonia, hic mos vestiendi perseverat. Apud veteres, si cui lacinia præcisa decurtabatur grandis, ignonimiæ nota fuit. (a) Et *David* armis probrum vindicavit, quod *Hannon* legatis ejus præciderit vestes, usque ad nates, (b) *Busbeqvius* Vir insignis Nobilitatis ac scientiæ; Belga natione, Ferdinandi I. Legatus in Turciam, Maximiliani II. Filiorum educationis Præfectus, à plurimis laudatus. (c) Habitum Turcarum Germanico longè præponit, quod hic, & honestior sit, & proceritatem, Majestatemq; addat, & viros magis deceat. (d)

Vestium Polonicalium usus universalis, & honestus.

§. 8vus.

Braccarum etiam laxiorum usus, ab antiquis Scythis introductus, hucusq; viget- quod commodæ sint equo insidientibus, & à frigore tutius defendant. Ita de *Sarmatis* & *Bastarnis* Ovidius. (e) *Pellibus, & laxis, arcent mala frigora braccis*

(y) *Vide Dionem Lib*: 63. *Plutarch*: *in Apoph*: *Valer Maxim*: *Lib*: 2. *Cap*. 29. *Satesberg L*: 6. *Polioratici*. *Cap*: 13. *Juven*: *Satyr*. 5. *Lib*. 1. *princ*: *Svetonium in Julio*. *Cap*: 45. *&c*:

(z) *Ferrarius Par*: 2. *Lib* 3. *Cap*: 23.

(a) *Valer*: *Maxim*: *L*. 2. *C*. 7. (b) 2. *Reg*. 10. ℣. 4. *seqv*.

(c) *Lipsius Cent*: 2. *Epig*: 94. *Bart*. *Adversor Lib*. 14. *Cap*. 6. & *Lib*. 15. *Cap*. 13. *Colerus de Studio Politico*.

(d) *Auger*: *Busbequius Libell*: *Epist*: *de Legatione Turcica*.

(e) *Ovidius Lib*. 3. *Trist*: *Eleg*: 10. ℣. 19. & *L*. 5. *Eleg*: 7. ℣. 49.

Braccæ latæ apud Polonos.

Quod, utrum cæteris orientalibus commune fuerit? non constat. Cum apud Judæos femoralia solis Sacerdotibus (idq; tempore Sacrificij ministrantibus in Templo) concederentur! nec ante, nec retrò, aperta sed ad latus; ubi vittâ jungebantur. (f) Persæ tamen illis utebantur: *Cyrus* induebat purpureas, quas *Xenophon* *Anaxendes* vocat. (g) *Sidrach, Misach, & Abdenago* cum braccis missi sunt in fornacem ignis. (h) Gallis eas negant aliqui, sed *Agathias* lineis, & coriaceis usos fuisse affirmat. (i) Romanos quosdam braccatos legimus. (k) Sed forte tibialia, socci, vel fasciæ erant Crura sola tegentes; de quibus *Juvenalis.* (l)

Nuper in hanc Urbem pedibûs qui venerat albis

Non capio! cur Tacitus accuset *Bastarnas* (ut malè supponit Germanos) *quòd, nonnihil in Sarmatarum habitu fœdentur*; (m) Si honestior & Viros magis decens fuerat modus ille vestiendi apud Germanos quem sic describit: *Locupletissimi, veste distingvuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ, & Parthi, sed strictâ, & singulos artus exprimente.* (n) Nescio! si verò de solis braccis laxioribus agitur, certè talibûs *Vangiones & Batavi* Gèrmaniæ Populi perpetuo sunt usi, Teste Lucano.

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
Vagiones, Bataviqne truces.

Et tamen id minimè vitio vertit Tacitus, imò illos commendat: cur similis braccarum usus apud Sarmatas damnatur.

§. 9.

(f) *Exod.* 28 ℣. 42. & 39. ℣. 29. *Levit.* 6. ℣. 10. & 16. ℣. 4. *Joseph: Antiqv: L* 3 *C.* 8 *Seldenus de Synedris Vet. Hæbr: L.* 3. *C.* 11.
(g) *Xenophon in Cyropædia Lib.* 8 *Diodor Sicul: Bibliot: Lib.* 5.
(h) *Dan.* 3. ℣. 21. (i) *Agathias. Lib.* 2.
(k) *Lampridius in Alex Sever: C.* 46. *cum Notis Salmas: In Codice Leg.* 2. & 3. (l) *Juvenalis Satyr.* I. ℣. *III.*
(m) *Tacitus de Morib: Germ: Cap.* 46.
(n) *Tacitus de Morib: Germ Cap.* 17.

§. 9nus.

Calceus, inferiorem partem pedis, & crus defendit: cujus tibialia ne decidant, subligantur. Hanc formam ab antiquis usitatam, semper retinent Poloni. Talium calceorum & subligaminum à Militibus usitatorum Homerus quoq; meminit, (o) Cruribus subnecti docet Virgilius. (p) *Calcei Polonorum quales.*

Purpureo stabis suras evincta Cothurno.

Prioribus temporibus omnes, nunc aliqui, armant, calceorum calcaneos, ferreâ soleâ, lunullæ instar. Nam & pedestres Milites antiquitus clavis muniebant soleas, ut infixi terræ firmiorem rederent gradum. (q) Tenuiori hædorum coriô *flavô*, nigrô, vel purpureo nobiliores utuntur, rudes Corium bubulum (ut potè firmius) magis amant: Quod genus calceamenti Romanis dictum *Calcei puri*. (r) Sunt inter villanos, qui perones ex corio, quidam ex subere plectant, instar Ægiptiorum ex Papyro (plantæ hæc est species) & ligneorum, quibus Flamines utebantur. (s) *Antiquus eorum usus.*

§. 10mus.

Caput tantum, ab antiquis Polonis tondebatur, nunc & barba raditur, more Persarum, & Romanorum. (t)

(o) *Homerus Odyss. Lib. 2. Tibullus. Lib. 1. Eleg: 8 ỷ. 14.*
(p) *Virgilius. Eclog. 7. ỷ. 32.*
(q) *Joseph: de Bell: Judaic: Lib 7. Cap Cap 3.*
(r) *Baldvinus de Calceo Antiqu*
(s) *Servius ad Æneid L. 4 ỷ. 516 Capell. L. 2. Gellius L. 10 C. 15.*
(t) *Athen. Dipnos: Lib: 13. Cap 6. Sveton: in Augusto Cap. 23. in Caligula. Cap 5. Varro Reip. Rom: Lib. 2. Cap ultimo.*

Cùm magis barbari Scythæ, Aſiæ minoris Incolæ, nec Caput, nec barbam raderent. Teſte Ovidio

Quomodo Caput raditur à Polonis.

Horrida Sarmatiæ gens eſt ſub flumine Volha
Non coma, non ulla barba reſecta manu.

Quos etiam nunc Moſchovitæ imitantur. Alios tamen Scythas præcipuè Argipæos Vołhyniæ Incolas, raſos fuiſſe dixeram ſuperius. (u) Tonduntur in rotundum, non ut *Arabes*, qui tali tonſura *Bacchum* imitari conabantur. (w) Sed in memoriam dati ſibi Regis *Caſimiri* ex Monacho Cluniacenſi: barbam enim deponere, & Comam ſupra aures præſcindere juſſi ſunt à Summo Pontifice Benedicto I. (x) cum antea prolixiores crines & barbas nutrirent, vel ſolum occiput radendo, ſupra frontem creſcere capillos permitterent. Nunquam tamen (ut pote Viri militares) muliebrem morem in ungendis, tingendis, pulveriſandis, ferrò torquendis capillis, imitati ſunt quod ſemper damnarunt ingenui (y) & delluſit Juvenalis. (z)

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam
Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro.

§. IImus.

Myſtacem non abradunt Poloni.

Myſtacem verò non abradunt, cum id faciei virilis diſtinctivum putent. Et certè nulla-Gens antiquiſſimarum in oriente hos pilos depoſuit. Judæi in luctu (cùm aliquit de for-

(u) *Vide hic par.* 3. *Cap.* 12. §. 12.
(w) *De hoc vide Levit:* 19. ℣. 27 *Jerem:* 9. ℣ 25. *ſequ. Theodoret:: in Levit: Qu.* 28. *Cyril: de Adorat: L.* 16. *Herod: L.* 3. *C.* 8.
(x) *Dlugoſſ: Hiſt: Pol: L* 3 *Sarnicius Annal: Pol: Lib.* 2. *pag:* 67.
(y) *Vide Tertul. de Habit. Mulier: Salmaſ. ad Solin: pag.* 759. *Seneca Epiſt.* 124.
(z) *Juvenalis Satyr:* 13. ℣. 164.

fortitudine Virorum relaxabant per fletum) Myſtaces vellere jubebantur. (a) Adverte tamen in *Vulgata* pro Myſtace poni labrum, ſive labium. Et ubi in Hæbraico reperitur *Super Myſtace*,, non rades vel, *non velabis*, ponitur in *Vulgata Os* (b) vel *barba*, (c) quòd Myſtax ad utrumque pertinere poſſit.

Caput pileo tegitur, portatur verò rotundus pellibûs Sabelinis, à Magnatibus; vel pelle agniculorum ad marginem circumductus. Optimè deſcriptum pileum polonicum concordantem cum Scythico, lege apud Patrem Martinium. *Biretum Capiti æquale, rotundum, ac humile, hoc pretioſæ pellis faſcia, per circuitum ambit, ad duorum vel trium, digitorum latitudinem (ea plerumq; Caſtoris, vel Zibellinarum eſt) Hæc pellis, aures, frontem, ac tempora à frigore defendit. Quantum verò bireti ſupra faſciam eminet, tantundem rubra byſſus, undique ſparſa tegit.* (d) Ruſtici vulgaribûs, & domeſticis pellibus utuntur, Nobiles peregrinis (quæ ex *Aſtrachano* & *Perſia* apportantur) adeò pretioſis, ut una exigua pellicula viginti aureis Hungaricalibus nonnunquam conſtet. Pilei nonnuli ſimiles ſunt illis, quos *Vegetius*, & *Athenæus* Pannonicos vocant. (e) Apud veteres Scythas ſoli honorati pileis utebantur. (f) Cujus moris etiam nunc eſt veſtigium, quòd præſente digniori, caput non tegatur, & occurrente, pileus amoveatur. Gentes fermè omnes pileò uſas fuiſſe, licet diverſo à Polonico vide apud Solerium. (g)

Pilei Polonorum.

Illorum formæ.

§. 12.

(a) *Ezech* 24. ℣. 17. 22. *Mich.* 3. ℣. 7.
(b) *Levit* 13. ℣. 45. *Ezech:* 24. ℣. 17.
(c) 2. *Reg.* 19. ℣. 24.
(d) *Martinus Martinius in Hiſt: Bell: Tar.*
(e) *Vegeti:* L. 1. C. 20 *Athen:* L. 6.
(f) *Lucianus de Scytha.*
(g) *Anzelmus Solerius de pileo, Sect.* 8.

§. 12mus.

Modus bellandi, licet modò emendatus sit, arma tamen quæ per tot Orbis Provincias, & Regna victoriosè Antecessores detulerunt prorsus non abijciuntur. Arcum quidem non ita pridem deseruerunt Poloni, vix privatim in illo tendendo exercetur juventus. Frameas verò à latere nunquam dimittunt Viri Nobiles. Non illas quibus antiquissimi usi sunt Germani, lanceis similes. (h) Sed incurvas amant; præcipuè equestres; ideò antiquis falces videbantur imitari. (i)

Arcus quidam usus.

Falcemq; Gettes, Arcumq; Gelonus

Cataphracti Milites longo gladio fermè tricubitali utuntur; ut fracta Saryssa, illo & confodere, & secare valeant *Koncyrz* dicitur. Nec tamen lateri applicatur, sed ab ephibio equi in rectum dependet. Ipsissimus videtur esse descriptus ab *Isidoro* & *Tacito*, (k) cum pariter utraq; parte sit acutus. Præterea iidem Cataphracti prælongas hastas, & contos portant, quorum usûs apud Sarmatas meminit Poeta. (l)

Non Arcu pepulere, Gettæ, non Sarmata contô

Cùm autem gravia sint arma, & aliquando inutilia (ut experti sunt Sarmatæ in *Myssia* teste Tacito) (m) Ideo hæ Legiones, solùm ad fragendam primam aciem destinari solent. Loricati breviores lanceas, levioris armaturæ Milites Equestres, curtas Sarissas, sive gessa, portant. Præcipui in his sunt vibrandis *Cosaci*, qui illis strenuè utuntur: imò fugientes jactu earum as-

Sarissarum diversæ species.

(h) *Tacitus de morib. Germ: Cap. 6.*
(i) *Papin: Stat: Achil: Lib. 2. V. 415.*
(k) *Isidor. Lib. 8. Cap. 6. Tacit: Hist. Lib. 1. Cap. 79.*
(l) *Lucanus de Laud: Stillic: Lib. 1.*
(m) *Tacitus Hist: Lib. 1. Cap. 79.*

assequuntur. Exercitium hoc ab antiquis Sarmatis apud ipsos continuum; de quibus Statius. (n)

Quo Magettæ sua gessa cient, quo turbine contum
Sauromates.

§. 13tius.

Scuto Sarmatas minimè usos, asserit Tacitus. (o) Commendare quidem posset Sarmatas abjectio scuti, quòd uti strenui Milites, & vitæ contemptores, nil præter invictum pectus armis opponerent. Verumtamen nec hoc aliquando defuisse credo. Cùm enim Sarmatæ Gens fuerit Scythica, ex *Amazonibus* genita. (p) Has autem Scutis lunatis, idest, peltis usas fuisse innumeri testentur Authores. (q) *Scuto usi Sarmatæ*

Ducit Amazonidum, lunatîs agmina peltîs
Penthesilea furens. mediisq; in millibus errat.

Etiam Sarmatis Scutorum usum non ignotum fuisse faterî cogimur Et licet incertæ fidei sit, *Amazones* extitisse, conveniens tamen est, cùm eas in Scythia locent Authores, ut illis arma quoq; Scythica tribuant, sicut defacto arcum concedunt. Imo *Silius* Jtalicus etiam Scythis peltam tribuit. (r)

Lunatîs Bisthones armîs

Probat tamen *Gvagninus*, citans *Trogum Pompejum*, Scythas Ponticos usos fuisse Thoracibus è crudo corio, quô etiam Scu-

(n) *Statius Achill: Lib.* 2. ℣. 418.

(o) *Tacitus Hist: Lib.* 1. *Cap.* 79. & *L. de Mor: Germ. Cap:* 46.

(p) *Vide hic Par:* 3. *Cap.* 11. §. 3.

(q) *Virgil: Æeneid. Lib.* 1. ℣. 401. *Plinius Lib.* 12. *Cap.* 5. *Ovid: Amor. Lib.* 2. *Eleg.* 14. *Valer. Flac: Argon. Lib.* 5. *Claudianus de Raptu Proser. Lib.* 2. *Stat: Thebaid. Lib.* 5. *Lutatius Placid: in d. loc. Stat.* ℣. 145. & 174.

(r) *Solius Jtal: Lib.* 2. *Punic.*

Scuta eorum tegebantur. (s) de his forte locutus Poeta, (t)

Nec pudor emeritô Clypeum vestisse juvencô

Gottos scuto fuisse usos meminit *Cassiodorus*. (u) *Indicamus Parentes nostros Gothos, inter procinctales gladios, more Majorum Scutô subpositô, Regalem nobis contulisse, Deo praestante dignitatem*. Ipse etiam Tacitus *Gothinos*, & (qui ad eos pertinebant) *Arios*, non fuisse Germanos dicit, & tamen scuta nigra portasse asserit. De *Venedis* etiam cunctanter dicit an sint Germani? vel non potius Sarmatae? & propter solum usum Scutorum & Domicilia, Germanos esse supponit. (w) Unde non video cur Scythis Scuta neganda forent: Licet nunc apud pedites (quemadmodum & in Germanorum Exercitu) nullus sit amplius usus Scutorum; apud equites rarus. Sed loco ipsorum defendunt militem brachialia ferrea, quae *Karwaße* dicuntur. Similia *Ocreis*, quibus Romani pedes defendebant.

Cataphractorum thoraces. Cataphracti, quemadmodum nunc, ita & ab immemorabili aevo, ferreis laminis muniebantur, vel quandoq; durô Corio adversus ictus impenetrabili. (x) Sed iisdem Sarmatis locô ferri frequenter defendebat pectus Thorax squammatus ex aprorum ungvibus, vel equorum angulis compositus, squammae nervis bubulis nectebantur, eminus, & cominus impenetrabiles.

(y) *Quam & ab Aetolae securam cuspidis ictum*
Texuit innumeris lubricus unguis apri.

Unum Thoracem Sarmaticum sqvammatum, Athenis in Templo *Aesculapij* conservatum narrat *Pausanias*. (z)

§. 14.

(s) *Gvagni: Hist. Sarm: Lib.* 3. *Par.* 1. *Vide etiam Meam Tacticem Par.* 1. *Curios.* 8. (t) *Statius. Lib.* 3.
(u) *Cassiodorus. Lib.* 10. *Epi:* 31.
(w) *Tacitus de Morib: Germ. Cap.* 43. & 46.
(x) *Tacitus Hist. Lib.* 1 *Cap.* 79.
(y) *Martialis. Lib.* 7. (z) *Pausanias in Atticis.*

§. 14tus.

Supra vestes ordinarias, thoracemq; militarem, Primores Scytharum consveverunt induere pelles ferarum. (a)

Ad Scythiæ Proceres, Regesq; Getarum
Respice, queis ostrô contemptô, & vellere Serrum,
Eximius decor est tergis horrere ferarum

Linea interula tegebat Corpus; a frigore defendebat pellis, quem modum vestimenti laudat Seneca: *Non hodieq; magna Scytharum pars, tergis vulpium induitur, ac murium, quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis sunt.* Ad bella vel in longingva perrecturi ursorum, ac luporum pellibus utebantur: quæ & commodo, & terrori servirent. Modus nunc aliquantulum delicatior, crescentibus, arte, & commerciô. In Castris tamen, veteris indumenti militaris servatur usus. Etenim Cataphracti Milites qui ex Nobilitate seliguntur; à tergo vestiuntur pelle *Leopardorum.* Jllorum autem socij (sc: inferioris Ordinis Cataphracti) lupinam pellem à tergo suspendunt, additis etiam, à sincipite ad lumbos usque demissis, aquilarum Pennis extensis.

§. 15tus.

Ad extremum, ultima plebs rustica, etsi glebæ annexa solam Agriculturam exerceat, ea tamen instrumenta, quibus utitur, ab antiquis Scythiæ Populis tradita, in usu habet! Sic in Samogitia, & alibi, aratris nil ferri applicant,

(a) *Prosper Aqvitanicus de Providentia Prudentius Lib. 2. con: Symach: Claud: Lib. de Bell: Get: & Lib. 2. in Ruf.*

Instrumenta agrestia vetusta.

villani, imò oblatum respuunt, Abavorum vestigijs insistendo. (b) Solos currus hic adducam de quibus Ovidius. (c)

Stridula Sauromates plaustra bubulus agit.

Certum autem est bobus junctis plaustro, vehi solitos Scythas, præcipuè *Budinos* & *Hamaxobios* (d) nec non *Jazyges*, qui pedester pugnabant. (e) Cur autem stridula dicantur intelliges ex genuina descriptione curruum Ruthenicorum ab antiquis, non dissimilium.

Currus Rusticorum in Russia.

Neq; linunt Russi raucos pingvedine currus
Nec picis auxilium stridulus axis habet.
Auditur veniens longè crepitare Colassa
Sic fragiles currus Russe vocare soles
Non faciunt habiles uno vectore quadrigas
Invectas Rutheni quas equus unus agit
Nec facile invenies ferratò hærentia clavò
Plaustra, facit ligni cuncta ministerium
Et sine ferri jussu, pangunt sua plaustra terebris
Et lignum lignò consolidare solent.

Non interruptus hic mos perseverat in Russia, ubi currus, non solùm ex puro ligno componuntur, sed lignorum corticibûs operiuntur: quoties ab incommodis aeris, merces suas, vel seipsos Rustici, tanquam imbricibus defendere solent. Talia verò plaustra corticibûs arborum tecta fuisse in usu apud Scythas testatur *Justinus*. (f) Idem videre potes apud *Ammianum* qui dicit *Alanos* (gentem Scythicam) *Solitos vagari supersidentes plaustris, quæ operimentis curvatis corticum, per so-*

(b) *Gvagninus Lib. 5. Par. 3*
(c) *Ovidius Lib. 3. Tristium. Eleg 12. ỿ. 30.*
(d) *Stephanus ex Parmenione Bizantio. Lucianus in Scytha.*
(e) *Vide hic Par. 3. Cap. 14. §. 9. 10.*
(f) *Justinus Lib. 2. Cap. 2.*

solitudinem conferant. (g) Victis *Dacis* Scythiæ populis, didicerunt ab eis Romani, lecticas, & currus tectos facere, quos muli, vel burdones trahebant, aut portabant. Cùm antea bigis, & qvadrigis apertis usi fuissent. (h)

§. 16tus.

Hæc certe forma Curruum ab immemorabili ævo pertinaciter à Rusticis servatur per *Lithvaniam*, *Russiam*, *Moldaviam*, *Samogitiam*. Non, quòd inopia, vel defectu ferri laborent. Gleba namq; fertilissima pecudum, mellis, piscium &c: abundantia divites reddit, ferrumque optimum, ac ductile conficitur. Sed quòd moribûs antiquis viventes, persvaderi non possint, ut eos in meliores mutent. Confert etiam negligentia, & lignorum fortium abundantia. Nam rotarum circuli ex unica fronde inflexa fiunt optimi, & durabiles. Axes verò (præcipue in Valachia) formantur ex ligno durissimo *Corno* nobis *Dereń* dicto, quòd attritione non minuitur, & ferrum vincit.

Hæc aliaq; plura demonstrant Gentem Polonorum procedere à *Japhet*; à quo Scythæ Orbi notissimi propter insignes victorias suam indubitatè trahunt originem. Sarmatæ verò ejusdem generis sunt certa propago; quos antiqúitas *Slavos* sive *Famosos* denominavit. Deinde recentiori tempore, iidem à toto Orbe *Poloni* vulgo dicuntur. Quo nomine, Gens specialis *Scytho-Sarmato-Slavica* designatur & à cæteris Populis Europæis distingvitur.

(g) *Ammianus Lib* 22 *Cap* 19. & *Lib* 31. *Cap* 2.
(h) *Vide meam Tacticen. Antiqv. Par.* 1. *Curios.* 14. *nro.* 6. *seqv.*

Quid sentiendum de Lechi adventu in Poloniam.

Expectaret forſitan quispiam a me reſolutionem dubij de Adventu Lechi, ad enumeratos hic populos, Quem nonnulli Critici, Gratis fabuloſum Principem dicunt: certamque ſeriem Regum & Principum Polonorum poſt aliquod ſæcula, à Miecislao texunt, putantes argumenta illorum negativa, quocunque teſtimonio Antiquorum Hiſtoricorum eſſe fortiora. Cum tamen id reſolvere nunc, quædam circumſtantiæ non permittant; ſpero me brevi tempore ſatisfacturum votis amatorum veritatis & oſtenſurum, quod Lechus fuerit certus Princeps, ſub hoc nomine, ſi non proprio, ſaltim appellativo in Polonia ſæculo VI. regnans. Ubi ſimul examinabitur, cui nam prima denominatio Polonorum, & Lechitarum debeatur.



INDEX

Rerum Memorabilium.

Primus numerus, Caput, secundus paragraphum denotat; si unus ponitur significat paragraphum Capitis immediatè citati: si plures ponantur: primus, Caput: reliqui paragraphos ejusdem capitis designant. Numerus autem Capitum non ille ponitur, qui est primò loco, in hoc opere: sed qui secundò locò annotatur, præter Caput primum. Unde, Caput quod hic ponitur *Secundum*, in Indice citatur *decimum*, & sic per consequens: quia hunc ordinem retinet in integro opere de Diluvio universali.

An-

Dre-

I.

K.

Octo-

T.

V.

ERRATA Notabiliora

Quæ ob distantiam Typographiæ ab Authore, irrepserant: sic corrige. P. significat Paginam. V. Versum. C. locum inter citationes, quæ infra Columnam ponuntur. M. Notam Marginalem. L. lege. Sive quomodò legendum. A. Adde præcedentibus.

P. 1, V, 21. DecimumSextum Lege Decimumsextum.
P. 2, V, 11, scriptores. L. Scriptores.
P. 7, V. 4, conquasatis. L, convassatis.
V, 8, *Bremi.* L, *Bremia.*
V, 20, ortum ducunt. L, ortum dicunt.
V, 23, Viribus auctis. L, Viribus auctum.
V, 21, sclavinæ. L, Slavinæ.
P, 9, V, 17, Rarios. L, Ranos.
V, 13, supponuntur. L, suppono.
P, 10, V. 14. quidam. L. quidem.
C, (z) Delecarapij. L, Delachampij.
P, 14, V. 17, Goreij. L, Gerey.
P, 15, V, 10, crearent. L, crearunt.
P, 17. C. (r) de stavans. L, des Scavans.
P, 18, V, 21, Sarmatanis. L, Samaritanis.
Cit: (y) aut Differe, L, aut Differt.
P, 20, C. (i) in statu. L, in Statut:
P, 24, V. 6, loquuntur. L, loquantur.
P, 26, V, 20. tum à Plinio instituta. L, tum instituta.
V, 21, Cassiterites. L, Cassiterides.
V, 15, *Kasbara.* L, *Kastara.*
P, 28. V, 11, ile. L, illæ, V, 16, appropriarunt. L. appropriarint.
V, 18, obscurarunt, quam illustrarunt. L, obscurarint, quam illustrarint.
C. (k) *Eucianus.* L, *Lucianus.*
P, 29, V. 7, Kadnor. L, Kadmon.
V. 13, est. L, esset oriunda.
P, 31, M, pro va. L. pro sua. 2, pro pt. L, pro se.
V, 4, Europeos. L, Europæos.
V, 7, Generationum L, Generationi.
V, 12, in temperato. L, intemperato.
P, 32. C. Jomandem L. Jornandem.

P

P, 33, V, 8, Gielonum L. Gelonū.
P, 34, V. 15. Coriton. L, coryton.
P, 35, V, 1, qualesz fuerant. L, quales fuerant.
V, 19, pugato. L, purgato.
P, 36, C. 3, Eusepius. L, Eusebius.
P, 37, V, 2, ultra Marinæ L, ultramarinæ. M. Mago. L, Magog. C. (o) da Phaleg. L, ad Phaleg.
P, 38, M. Gothi Gerniæ. L, Gothi Germaniæ.
P, 40, V. 8, at de Scythia Europea. L, ac de Scythia Europæa.
V, 12. venustatem. L, vetustatem.
P, 43, V, 2. sunt tempore. L, sunt primo tempore. V, 20. inhabitant. L, inhabitabant.
P, 45, V, 10, Dobnicensium. L, Dobrucensium.
V, 21. differrentes. L. Differente.
V, 23, gesta L. gessa. C. (s) Martiali. L. Martialis.
P, 46, V, 7, Messia L. pro *Massagethia*, *Messia*,
P, 47. V, ab *Orote*. L, ab *Orole*. sc: *Orele*. quod Aquilam apud Slavos significat.
V, 6, commigrarunt (g) *Adde* Ex illis etiam poterant deduci Coloniæ in Americam, nam & ipsi corpora inscribere solebant, (h)
V, 18, ebrius nunc. L, ebrius. (i) nunc. V, 20, in Asia (h) L. in Asia (k) V. 25, convstatis. L, convastatis. Cit: ult: loc: ad: (k) *Vide hic integri Oper. Par.* 3. C. 9, §. 14.
P. 48. V, 2. (i) L, (l) V, 17, jaculare. L; jaculari V, 19, *Gvagnimus*. (k) L, Gvagninus. (m) *Cit:* (i) *Vide* &c: omitte. (k) L, (l) *Herodotus* &c: (l) L. (m) Gvagninus &c.
P, 49, V, 9, Fluviorum. L, Filiorum. V, 3, *Thuros* ab ipsis dicebatur. L. *Thuros* à Slavis *Thur*. dicebatur. *Cit:* (o) Vossiu9. L, Vossius.
P, 50, Cit: (s) Epiphanius. L, Eusebius.
P, 51, Cit: (a) C. L, V.
P, 52, Cit: (d) Cap. 9. L, Cap. 10.
P. 53, V. 13, *Tonka woda* diffluunt. L. *Tonka woda* diffluunt sc: aqua stagnans non adeo profunda. Nam *Limah* Slavonicum cum Græco *Limine*. sc: *Lacu* convenit.)
P, 54. V. 4, Quoq; minus. L, L, Quodq; minus V. 13. & ex Gvagnini. L, & ut ex Gvagnini
V, 27, Gormoniam L, Germaniā.
P, 55, V, 10. Item L, Idem C. (r) L, (q)
P, 58. V. 20, Versus Septemtrionalem L, versus Septemtrionem.

P, 60, V, 11. constantiam L, inconstantiam.

P, 62, Cit: ita corrige. (q) *Vide Integri Oper. Par.* 3, *Cap*: 12, 16, *Herodotum. Lib*: 4, *Cap*: 60, & 62. *Vide quoq; hoc Cap*: §. 15, (r) *Plinius Lib*: 4, *Cap*. 12, (s) *Ovidius de Ponto Lib*. 3, *Eleg*. 2. V. 45.

P, 63, V, 26, 4893. 60, L, 4893 60. Citationes ita corrige. (t) *Gvagninus*. &c: (u) *Ovidius de Ponto Lib*: 1. *Eleg*: 3. V. 11. (w) Helmoldus Lib. 1, &c: ( ) Schedius, &c: (x) Bangertus in Not. &c:

P, 64. V. 2, Neumageri. L, Neumageros. V 4, potitur, L, ponitur.

P, 65, V, 25, fupponitur. L. fubponitur. Cit: (ẹ) *Etasl*: L, *Etats*. *Bartage. Hisl: def: Ireis*. L, *Basnage. Hist: des Iuifs*.

P, 66. V. 10, sub nomina. L, sub nomine.

P, 68, V, 2, ibi confinis L, ubi confinis.

P, 69, M, Fluus. L, Fluvius.

P, 71, V, 8. Quidsi L, Quid si. V, 9, *Sarmath*. L, *Sarmaty*.

P, 73, 13. Dijs. L, Dis. V, 18, levaq; L, lævaq;. V, 20, Census. L. sensura.

V, 22. Scythicum raro L, Scythicum nomen raro. V, 24, usququoq; L, usquequaq;.

P, 76, V, 15, populi L, populis.

P, 78, V, 12. sub nomine Justiniano L, sub Justiniano.

P, 80, V; 25, Vicma L, Vicina.

P; 84, V; 16, Civitatem L; cavitatem.

P; 85, V, 7, habet L; habeat.

P; 88, V, 9, trahunt L; trahant.

P; 89. C. (b) *Vossius de Idol*: L, *Vossius de Idolol*, *Lib*. 3, *Cap*: 82, *Seneca. Epist*: 41.

P; 90, V; 4, Boch L, Boh V; 21, Opfione L; Optione. Cit: ita lege: (d) *Herodotus Lib*: 4, *Cap*: 52, (e) *Plinius Hist: Nat: Lib*: 4, *Cap*: 12, (f) *Plinius*. &c:

P; 91, V; 29, pilò cinerea L; pilò cinereo. Cit: (k) *Nicolaus Zloydius* L; *Loydius*.

P, 92; V; 3, labrum superius inferiori. L; labrùm inferius superiori mandibulâ.

P; 93, Cit: (p) *Delacampij* L, *Delachampij*.

P, 96, V, 1, *Znicz* apellabant; (c) Forte, L; *Znicz* apellabant, Hoc elementum sub nomine *Vestæ* ab omnibus Scythis cultum fuisse testatur *Herodotus*. (*) Verum cum plurima loca Scythiæ campestria essent; cultus hic, in illis oris maximè propagatus est,

est, ubi nutriendo igni, materia facilius haberi potuit. Jdeo forte *ibid:* post Cit: (c) *Dlugoss* &c: adde (*) Herodotus Lib. 4. Cap: 59.

P; 98, V, 9, cognitæ L, cognite. V, 10, Gracis L, Graijs.

P, 99, V; 11, infra L; intra.

P; 102, V, 12. adfuisse (r) neq, dicas &c: *omitte.* sed L, adfuisse (r) Ascenitis contermini.

P. 104, V. 10, Valentiano L, Valentiniano.

P. 105, V; 19. prorsus distinctos L. indistinctos. V; 20. cohabitabant *Adde* sed tantum sedibus distantes.

P; 106, V, 17, ardeis albis, quas L, ardei albis, & alijs candidis aviculis, quas Cit: (s) Apolinus L; Apolonius.

P, 107; V, Andropagi L; Androphagi.

P; 108, V; 6. à neutride L, à Neutrtide.

P; 110. V, 7, *Melancœnijs* L, *Melanchlænijs.* V; 10, nunc illis L, nunc his, nunc illis.

P; 111, V, 22. specus subterraneas L. specus subterraneas inhabitare, V. 27, *Xantus Lydus* antiquitas, L; *Xantus Lydus* antiquitus.

P; 112, Cit: (r) Plinius *Henricus* &c: omitte, Cit: (s) *Henricus* L, (r) &c. (s) *Claudianus in I. Consul: Stillic, Lib:* 1, V, 95,

P. 113. V; 11. Marello L, Marcello V. (Jornandes) L; (quo vixit Jornandes) V, 22, ad internectionem L; ad internetionem. Cit: (y) *Claudianus,* &c: L; (y) *Plinius Lib:* 6, *Cap:* 7, & 17, Cit: (a) *Alciatus Paregr.* L, (a) *Alciatus Parerg.*

P; 116, V, 14, Romanis *Ad:* qui tales calceos *Carpatinas* apellabant. (m) quod illorum usus circa Carpatum esset frequentissimus, Quandoq, diminutivè apellabantur *Carpisculi*; Cit: (m) Paulus j. C; L, Paulus J, C.

P; 117, V; 2, *Carphatum* L, *Carpatum:* item seqv: V; 17, 18, 25, Cit: (r) *Bosinius* L; *Bonfinius.* (x) *Ptolomeus* L; *Ptolomæus.*

P; 118, V; 11, Diabol Synonymum *Bies* L, *Diabol & Bies* sunt Synonima.

P; 119, V, 3, æconomiæ Oeconomiæ.

V, 17; Argipeos L, Argipæos.

V, 24; credimus L; credamus.

V; 28, vindicandum L, vindicatum.

P; 121, V; 19. *Ziedoneis* L; *Zjedones.*

V; 21, quærentes L; Quærentes.

P; 126, V, 4, Sctosis L; Pilosis sctosisque peronibus.

P; 127, V; 8, habitant L; habitabant.

P, 131; V; 16, pascuarum L; pascuorum.

P,

P, 132, V, 5, sarmatæ L; Sarmatæ,
V, 24, Pagatim L, pagatim.
P, 133, V, 18, ne feræ terrerentur ipsi, L, ne feræ terrerentur, ipsi,
P, 134, V, 17, Carpinaos L, Carpianos,
P, 137, V, 11, permittens, L, promittens fidelibus minaturæ L, fidelibus ruinam minaturæ,
P, 139. V, 16, historicus L, Criticus,
P, 145, V, 28, sunt L, fuerunt,
P, 149, V, 10, ob inopiam, ferri ossibûs L, ob inopiam ferri, ossibûs, V, 24, *Monticalas* lingva *Scandinavica* L, *Monticolas*, lin. gvâ *Scandinavica*.
P, 153, V, 18. *Wicini* L, Wiciny,
P, 161 V, 14, Phaetonti de L, Phaetontide, V, 20, Succinam L, Succina.
P, 162, V, 18, *Magdeburgum* L, *Mariæburgum*,
P, 165, V, 4, iqsum L, ipsum,
P, 169, V, 26, raptu L, raptô,
V, 27, nequæ L, neq;,
P, 172, V, 10, liquitur L, loquitur,
V, 15, *ornata* L, amata,
V, 17, *vellis* L, *velis*,
P, 176, V, 21, *Rym Nowy*: Novam, L, *Rym nowy* sc: *Novam Romam*,
P, 178, V, 7, eratq; L, erantq;,
V, 9, (b) L, (q)
P. 180, V, 5, an hi L, an hinc,
V, 6, Germanos L. Romanos,
V, 19, quantum se extendit fama illius L, quantum se extendebat fama illarum,
P, 183, Cit: ita ordina (w) *Arrianus Lib*: 1, (x) *Strabo Lib*: 7, (y) *Vitichindus*. &c:
P, 184, V, 1, *Laukawiki*) L, *Lecikawiki*),
V, 28, & *Agathia* L, et *Agathia* (b) Cit- ita ordina, (z) *Godefredus*. *Lengnich*. *Dissert*: *de Major*: *Polon*: §, & seqv: (b) *Vide Julium Cæs*: &c: (b) *Pastorius*, &c:
P, 186, V, 11, sæculi; V. L, sæculi VI,
P, 193, V, 7, fluminis L, fluminis.
V, 22, non tamen Burgundiam, L, Regionem tamen illorum non Burgundiam, V, 27, dicit Gal, los L, dicit illos, Gallos.
P, 194, V, 21, Ex altera etiam parte L, Ipsa etiam illorum apellatio, Slavos probat, quod à Slavonico derivetur. Nam qui, nonnullis, *Hunni*, vel *Hanni*, à *Han*, *Kan*, vel *Kahan*, (quod *Dominum* significat, ut dictum alibi) dicebantur, Iidem quandoq; *Pannones* à *Pan* (quod posteriori Ævo ex *Han* degeneravit, & pariter *Dominum* significat) apellabantur

O.

Originativè autem erant Scythæ, illosq; mansisse suppono inter *Pontum*, & *Tanaim*, ubi *Scythas Basilides* sive *Regios* ponit *Herodotus*. Sic dictos, quod se *Dominos* aliorum Scytharum esse putarent. Ex altera etiam parte Offi Jazygibus &c.

P, 167, V, 14. dabit L, damnabit.

P, 198, V, 2, *Lazyges* L, *Jazyges*. V, 21, à Wolgaris, L, A Wolgaris. V, 24, & in *Vannio* L, & *Vannio*.

P, 199, V, 14, in Caverius L, in cavernis.

V, 25, exercitabant L, excitabant.

P 200, V, 11, & etiam L, & aciem.

P, 201, V, 2, *Burij* Offis L, Burij sive *Borij* (dicti sic à *Bor*. vel *Bur* id est *Nemore* & *Sylva* quæ illos à Galindis disjungebat) *Offis* & *Jazygibus* finitimi, eum tractum V, 5, *Manomanorum* L, *Marcomanorum*. V, 14, a quo Civitates L, a quo licet Burij expresse non nominentur, eodem tamen tractu Civitates.

P, 202. V, 1, 8, 12dus L, 12mus.

P, 203, V, 23 Argipinensium. L, A, gripinensium.

P, 204. V, 12, *Bructoram* natione L *Bructeram* sive *Pruthenam* natione

P, 205, V, 8, Hebraicum L, Hebraico.

P, 208, V, 3, sine *nominibus*. L, sine *nominibus*

P, 209 8 ubi L, ibi V, 16, Slavicæ Gentis L, Slavicæ Gentis ramulus.

P, 212, V, 26, aparte L, aperte.

P, 213. V, 8, addictis L, adductis.

P, 215, V, 23, *Grom* L; *Brom* vel *Prom*

P, 218, V, 16, & sæculo V, L, sæculo VI.

P, 219, Num. 912, L. 219, V, 5, Monarchiæ L; Monarchæ. V, 24. Incole L, Incolæ.

P, 220, V, 20, ex Græca L, ex Græco

P, 221, V; 7, *Columnorum* L: *Columnarum*. Cit: (p) Strykowiki Hist: Litv: Lib; 2, Cap. 2, L, Strykowiki Hist: Lib; 3; Cap: 1.

P; 222, V; 7, vetusti L; Vetustis. V; 19, *Julianus* L; *Julius*. V; 24; illis L; illius.

P, 224; V; 8. descibens, L; describens

P; 226; V; 5; quæ si verè L; qvæsivere V; 26; non Græcum est. *Adde* quo jam tunc nobiliores *Bithyni* utebantur. 27; in Rutheno L; in puro Ruthenismo.

P; 227, V; 14; Porsonam L, Porsenam.

P, 231 V; 5, fuerunt L; fugerunt. V; 10, Hæbraico L; Hebraico. Cit: (f) *Elias in Pisbi. fin* Litt: L; *Ulias in Tisbi fin*. Litt. Aleph.

P; 232, V; 18; *Is idem* L; *Isidem.*
P; 234; V, 5; deresi L; detersi?
V; 15, Antiquiusne L; Priusne.
P; 235; V; 10, Dardanelilas Lege Dardanellas. Cit: (a) *Brietius* &c: L; *Dietericus.*
P; 236, V; 1, §. 12dus L; 12mus.
V, 2; ab horrent L; abhorrent.
V; 13, quod Imperatores, quod Consules. L, quot Imperatores, quot Consules. V; 24, rupit L; rupti Cit: (b) *Popinski* L; Poninski.
P, 239; V; 9, quood L, quod.
V; 14. *barbarie* L; *barbarici.*
P; 242, V, 18, Gettas L, Getas.
P; 244, Cit: (h) *Divus Laurentius* L; *Diog: Laertius in Anacharsi.*
P; 245, Cit: (i) *Celsium* L; *Celsum.*
P; 247; V; 10, Saturnum reptæsentando L; Saturnum vel Diannam repræsentando. V, 23, fluminibus Lege fulminibus.
P; 248, V, 11, Jlic L; Hic.
P; 249. V, 10, qui Græcam L; qui vocem Græcam.
P; 250, V. 22, magis asveti L; magis vero asveti.
P; 252, V; 5, illis L; illius.
P; 256, Vede L, Unde.
P; 257, V, 4, quos L, quas.
V, 24, Distinctum L, Discinctum Cit: (u) *Ajt* L; *Act.*
P; 258, V; 1, Distinctum L; Discinctũ
V, 10; grandis ignonimia L; grandis ignonimiæ,
P; 260, V; 11, rederent L, redderent.
P; 261, V; 4, non ulla L; non ullâ.
V; 23, (cum aliquit L, cum aliquid.
P, 263 M, 2, spevies L, Species.
P, 264, Cit, (r) *Solius Jtalic* L, *Silius Jtal.*
P, 265, V, 3, Gottos L, Gothos.
P, 266, V, 8, laudat Seneca: L, laudat Seneca. (b) in cit adde. (b) *Seneca Epist:* 90.
P, 267, V, 3. *bubulus* L. *bubulcus.*
P. 269. V, 3. Gratis L, gratis.
V, 4, post aliquod L. post aliquot.

Cætera minora errata, nec non Ortographicas notas, commata, periodos &c: vel omissas, vel non suô locô positas, prudens Lector benevole corriget, ignoscetque.



Bibl Jag


Biblioteka Jagiellońska
stdr0027142

